









BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.


MSS. CODICES
HEBRAICI
BIBLIOTH. I. B. DE-ROSSI
LING. ORIENT. PROF.

ACCURATE AB EODEM DESCRIPTI
ET ILLUSTRATI.

ACCEDIT
APPENDIX
QUA CONTINENTUR
MSS. CODICES RELIQUI
AL. LINGUARUM.

VOL. II.

PARMAE
EX PUBLICO TYPOGRAPHEO
1803.





MSS. CODICES

HEBRAICI

BIBLIOTH. I. B. DE-ROSSI

ACCURATE DESCRIPTI

ET

ILLUSTRATI.



Cod. 347

1.° Joh. Damasceni ben Mesve *Antidotarium* hebr. versum.

2.° Armengab Baldi de Monte pessulano *Opusc. medicum* hebr. translatum ab Astodi fil. r. Mosis Parchì.

3.° Abubecher Alrasì *Tractatus de venae sectione* hebr. versus.

4.° Chonain fil. Isaaci *Comp. regularum XIV librorum Galeni de compositione simplicium*.

5.° Alrasì *De accidentibus homines avertentibus a medicis doctissimis*, et *de eorum fama tuenda*.

6.° Ej. *Excerptum ex libro Almansor de probatione medici* heb. vers. a r. Scem Tov fil. Isaaci, chart. rabb. 4.° sec. XIV, vel in. XV.

Mesve Antidotarium extat etiam in Leidensi inter codices Warnerianos, sed mutilum, teste Wolfio T. III p. 351, item in Bodlejana sub mendoso olim nomine et titulo Johannis Manse, quod recte jam restitutum est in novo Uri *Catalogo* p. 81 ad cod. 422. Ex tribus autem auctoribus hujus nominis, Damasceno nostrum hoc opus esse tribuendum luculenter nostri codicis docet epigraphe: » Absolutusque est liber hic Joh. Damasceni ben Mesve, qui dicitur Antidotarium. Laus sit Deo ». Magistri Baldi de Monte pessulano, vulgo Mon-

pellier, ejus operis, ejus interpretis indicia nulla extant apud Wolfium, quamquam singula ea nomina ex praefixa Astodi praef. manifestissime constent, qui et testatur se Barcinone hunc libellum vertisse. Omittit etiam Wolfius seq. Alrasii tractatum, nisi is sub generali titulo tractatus medicinae contineatur, vel medicorum opusculorum, quae sub n. 11 notat in Vindobonensi servari. Quod et de altero Alrasii opusculo dicendum est sub n.° 5 infra relato. De Chonain fil. Isaaci monet quidem Wolfius quaedam Galeni scripta arabice eum transtulisse, inter quae et priores tractatus de compositione simplicium, producta T. I p. 275 auctoritate Nicolai Antonii, qui testatur in *Bibl. hisp. veteri* eos in Escorialensi latere. Sed nostrum hoc compendium non memorat. De hoc auctore ejusque scriptis vide *Biblioth. arab. philos.* apud Casirium *Bibl. arab. hisp.* T. I p. 286. Qui priora duo Alrasii opuscula verterit, ignoratur, quamquam verisimile valde sit ea a Nathane Hamathaeo fuisse translata. At vero Almansor, Alrasii opus sic inscriptum, hebr. transtulit R. Scem Tov ben Isaac, adeoque ex ejus versione est excerptum, quod codici finem imponit. Atque hic plures iique insignes Wolfii errores redarguendi, qui binos auctores confudit inter se diversissimos et aetate longe remotos, ex duobus unum fecit, ac singula prioris scripta per summam oscitantiam constantissime posteriori assignavit. Medicum Almansoris librum ex arabico heb. translatum a R. Scem Tov fil. Isaaci cognominati הטרעישי extare in Vaticana inter codices Urbinates, et in hoc codice absolutam dici versionem an. 5024, Ch. 1264, Wolfius ipse post Bartoloccium ac Sabtaeum animadverterat vol. I p. 187 et 188. Conf. etiam Assemani *Catal.* T. I p. 348 et 437, et Rodriguez de Castro *Bibl. hisp. rabb.* p. 231, qui integram afferunt codicis epigraphem. Quomodo ergo versionem hanc Wolfius in vol. ipso p. 1127 et in reliquis R. Scem Tov fil. Isaaci ben Sciphrut, vel Sprot, tribuere potuit, qui, consentientibus judaeorum chronologis, floruit anno 1374? Quod si in dubium quis Zacuti, Ganzii, ac Sabtaei fidem vocare velit, qui id tradunt, novum habet illudque indubium argumentum in celebri ejus opere antichristiano *Even bochen* et in Medicei codicis epigraphe, quae fert ab auctore ipso exaratum anno 1385. Haec enim de auctoris ac libri composi-

tione intelligenda est, non de sola descriptione facta a fictitio quodam Obadia Amathia, ut male interpretatus est Wolfius T. I p. 1126. Vide quae infra dicemus ad cod. 760. Ac quamquam Wolfius ex Bartoloccio proferat in notis ad p. 1127 epigraphem codicis collegii Romani neophytorum, quae prodit compositum librum an. 1240, ex mentione tamen Nicolai de Lyra, quam testatur Bartoloccius in hoc libro fieri, concludit priorem illum judaeorum calculum recte se habere, suspectam merito habens ac mendosam eam epigraphem, cui et Medicea aperte opponitur. Quod si aetatis discrimen patet, patet et patriae. Etenim alter Tudelensis erat, alter vero, ut videbimus, Dertosanus, nec Sciphruti nomen in ullo auctoris nostri opere comparet.

Itaque Almansoris versio non Scem Tov filio Isaaci fil. Sciphruti tribuenda est, Tudelensi scriptori sec. XIV, sed Scem Tov fil. Isaaci, Dertosano ac sec. XIII. Huic eidem auctori, non filio Sciphruti, ut facit Wolfius, tribuenda est versio comm. in Aristotelis lib. de anima, qui perperam a Wolfio creditur Averrois, extatque in variis bibliothecis et in cod. nostro 538. Huic eidem, non Sciphruti filio, heb. versio operis medici Alzarabi, quae extat in Bodlejana, cujus interpres, teste Wolfio T. IV pag. 788 et 998, vocatur הטורטוסי *Dertosanus*, unde corrigenda mendosa Vaticani lectio הטרעישי, si ea quidem ex scribae oscitantia est, non eorum qui codicem decerpserunt. Eidem tandem, si credimus Rodriguez de Castro cit. l., non Sciphruto, referendum *Pardès rimonìm*, quum codex huj. operis Escurialensis, anonymus is quidem, sed qui argumento cum edito congruit, annum ferat in epigr. 5027, Ch. 1267, idest Almansoris opere triennio posteriorem. Vaticani sane codicis epigraphe, quae et doctos *Catalogi* auctores coegit antiquiori ac diverso scriptori Almansoris interpretationem tribuere, dubitationem aliquam Wolfio debebat afferre, qui reapse T. III p. 1137 scribit parum abesse quin credat auctorem Even bòchen ab aliorum operum interprete esse distinctum. Verum sibi parum constans, sive ut melius dicam, in solo errore constans, non modo in ipso eodem vol. ac loco, in quo dubitanter loquitur, notat ac putat verisimile esse fil. Sciphruti adeoque ejus aetatem ad aetatem cod. Vaticani esse amandandam, sed in IV ac postremo huic scriptori cuncta ea opera rursus assignat,

ut in prioribus fecerat. Nota pro Sciphrut melius Sprot appellandum esse nostr. auctorem, ut appellavimus in *Bibl. nostra jud. scriptorum* T. II p. 137, ubi de eo ejusque operibus egimus.

COD. 348

AGADA' *paschatis* cum var. *Psalmis*, memb. germ. 16. sec. XIV vel init. XV.

COD. 349

JOB, membr. germ. in 4.° 2 col. sub fin. seculi XI vel initium XII.

Remotae antiquitatis codex, imparibus lineis distributus, et inter melioris notae codices celebrandus. Primum vocabulum maj. litteris constat, nulla masora conspicitur, et unicum kerì ex manu ejus qui puncta addidit. Explicit cap. XXXIX 24, et unicus est Job XXXIV 18, XXXVI 16, XXXVI 22, et XXXVIII 5, rarissimus cap. VI 10, XVII 10, XXXV 14.

COD. 350

PSALTERIUM cum *utraque masora*, membr. germ. in 4.° in. seculi XIII.

Antiquus et pretiosus codex, qui habet primum folium recenti manu suppletum, et psalmos alternis lineis distributos, ad calcem vero hanc subscriptionem: » Ego Eliezer fil. R. Isaiae punctis et masora ornavi hoc Psalt. ad usum R. Isaaci fil. Baruchi ». Unicus est Psal. XVIII 32, XLIV 24, L 22, LXII 8, LXXVIII 54, rar. Psal. XXII 24, CXIX 119, CXL 5.

COD. 351

1.° R. JACOB FIL. DAVID filii Jom Tov *Ratio conficiendi calendarii et inveniendi lunationes*.

2.° Ejusd. *Tabulae astronomicae*, membr. rabbin. in 4.° an. 1395.

Utrumque opus extat etiam in cod. 101. Nigris rubrisque litteris utrumque descriptum Bononiae a Menachem fil. R. Mosis anno 155 sexti millenarii, ut ad primi calcem legitur.

COD. 352

ORDO ET RITUS SPONSORUM, ac rythmi sacri diei sabbathi ac circumcisionis, membr. in 12. sec. XIII.

COD. 353

PIRKÈ AVÒTH seu *Capitula patrum* cum *Comm.* Maimonidis, *additamento* Jarchì et *Perek R. Meir*, memb. rabb. 4.° min. sec. XV.

Extat ad calcem nota venditi alterius libri, seu Pent., Fabriani an. 229, Ch. 1469.

COD. 354

1.° JOH. INGLESII *Liber de inspectione urinae juxta sen-*

tentias Petri de Bereniko, Constantini Damasceni, et Jul. Salernitani hebr. versus.

2.° Ej. *Ordo medicaminum simplicium et compositorum*.

3.° R. Mosis Maimonidis *Tractatus de hemorrhoidibus*.

4.° *Compendium libri Pirkè moscè*, seu *Aphorismorum* Maimonidis.

5.° Doegi edomaei *Comp. medicinae*, memb. et chart. rabb. 4.° sec. XIV.

Dignus est titulus primi opusculi, qui integer exscribatur: » Liber de inspectionibus urinae juxta sententiam magistrorum Petri de Bereniko, Constantini Damasceni, et Julii Salernitani ex mandato imperatoris Frederici anni 1212 nativitatis mense februario compositus et correctus per mag. Philippum Tripolitanum, et magistrum Gherardum Cremonensem ex mandato regis hispani, versus autem in linguam nostram a magistro Joh. Inglesio medico Romano ». Constantinus ille Damascenus est procul dubio Constantinus Africanus, cujus extat in Vindobonensi libellus de urinis ex arabico R. Isaaci Israelitae hebraice translatus. V. Wolf. T. I p. 1002 et 666. At vero de nostro hoc compendio, de ceteris auctoribus, unde compilatum est, de Joh. Inglesio, judaeo ac medico Romano ejus interprete, profunde silet Wolfius. Qui sequitur anonymus ordo medicaminum ex variis et ipse auctoribus, sed potissimum ex eodem Inglesio, desumptus est, multisque scholiis circumseptus. Ineditus et ignotus est Maimonidis tractatus de hemorrhoidibus, hebr. inscriptus המאמר ברפואת הטחורים. Is in primis ipsis verbis Maimonidi tribuitur: »Dicit Moses filius Abdalla israelita Cordubensis », et in septem sectiones dividitur. In marg. exhibet varias lectiones aliorum exemplarium. Integri Maimonidis Aphorismi libris XXV contenti in Leidensi reperiuntur, eosque in ejus bibl. *Catal.* p. 304 recenseri monet Wolf. T. I p. 863, qui tamen perperam credit idem opus esse cum comm. in Aphorismos Hippocratis. Eorum compendium ac summam noster hic codex suppeditat, Wolfio ignotam. Postremum opus auctoris nomen aperte et ipsum in fronte gerit, *Dicit Doeg idumaeus*, vel edomaeus, ostenditque se in praemissa praefatiuncula judaeum esse, testans se in gratiam reliqui populi sancti lingua sancta suscipere medicorum librorum, quos is non intelligit, compendium. Constat capitulis 106, dimidiumque codicem occupat, nullaque ejus in bibliographis vestigia.

Cod. 355

1.° R. Samuel ben Almosnino *Commentarius* in Rascì *super Pentateuchum*.

2.° Anonymi *Commentarius* in Rascì *super Pentateuchum*.

3.° Anon. tertius *Comm.* in eundem Rascì, chart. rabb. 4.° an. 1508.

Almosnini commentarius extat etiam in Vaticana, teste Bartoloccio, et in Bodlejana, teste novo Uri *Catal.* p. 25 ad cod. 139, editusque est CPoli, una cum tribus aliis commentar. in Rascium, Jacobi Kanisal, Mosis Albeldae, Aaronis abu Aldari. Hinc non inanis conjectura oritur binos qui sequuntur anonymos nostri codicis, esse posse eorum auctorum, qui in editione connectuntur. Ad calcem primi: » Ego minimus Eliezer fil. R. Chananiae scripsi hunc librum comm. in Rascì ad usum mei ipsius, absolvique hodie die III mensis scebat an. 5268 a creatione universi ». Secundus dicitur finitus ab eodem scriba die XVIII mens. sivan ej. anni.

Cod. 356

R. Abr. Aben Ezrae *Comm. in Pentateuchum*, chart. rabb. 4.° an. 1367.

Ad calcem: » Ego Aaron fil. Menachem scripsi et absolvi hunc comm. legis, quem composuit sapiens cl. R. Abr. ben Ezra fel. m. feria IV die XIII mensis ellul an. 127 aerae receptae. Descripsi autem illum in gratiam Nissìm fil. Sal. de Ancona ».

Cod. 357

R. Nissim Gerundensis *Quaesita et responsa*, chart. rabb. 4.° min. an. 1342.

Complectitur codex quaesita LXXVII, ad quorum calcem legitur: » Finitum porro est omne opus mense IV die XVIII mensis an. nomen ה׳ אלהינו Domini Dei nostri commemorabimus » seu 5102.

Cod. 358

R. Dav. Kimchì *Commentarius in Jeremiam*, chart. rabb. fol. sec. XV.

Cod. 359

R. Isaaci Abrabanelis עטרת זקנים *Atèred zekenìm*, *Corona senum*, chart. rabb. 4.° sec. XV.

Cod. 360

R. Jacob ben Ascer *Even ahèzer*, et *chòscen mispàt*, seu *III et IV ordo Arbà turim*, membr. rabbin. in 4.° an. 1474.

Ad calcem: » Ego Eliezer fil. Davidis levitae Adelkint scripsi hos ordines pro R. Isaaco fil. Meir levita... anno 234 die XXV mensis nissan ».

Cod. 361

R. Peretz fil. Isaaci מערכת האלהות *Maharèched ahelaùd, Ordinatio divinitatis* cum *Comm. Minchàd jehudà* R. Jehudae Chijat, chart. 4.° maj. sec. xv vel in. xvI.

Textus charactere semiquadrato, commentarius rabbinico, uterque editus. Vide Wolfium sub n.° 1856 T. I p. 995 et III p. 995. A nonnullis librum R. Azarieli Saghì naor tribui jam pridem a nobis observatum est *De typogr. heb. Ferrar.* p. 44, de Ferrariensi ejus editione agentibus anni 1558. Extant etiam codices mss. qui eum rabbinum ut auctorem in fronte produnt, ut Vatic. 211, ex cujus sola, ut opinor, auctoritate factum est, ut bini seq. Vaticani 215, 216, huic eidem auctori ab Assemanis vindicentur. At vero plerique scriptores sive hebraei, sive christiani, eum tribuunt R. Peretz fil. Isaaci Gerundensi, ejusque nomen in titulo gerit codex alter Vatic. 265, teste *Catal.* p. 228. Bini etiam Oppenheimeriani in edito *Catalogo* fol. 13 ejusdem esse dicuntur. Alii codices anonymi sunt, ut nostri tres, quos, communiorem opinionem sequentes, ad posteriorem auctorem referimus. Memb. et antiquius operis apographum sistit 1163.

Cod. 362

1.° Averrois *Expositio libri* Aristotelis *topicorum* ex hebr. versione R. Kalonymi fil. Meir.

2.° Ejusd. *Expositio libri sophisticorum* Aristotelis ex eadem versione Kalonymi.

3.° Ej. *Expositio libri rhetoricorum* Aristotelis hebr. versa a R. Todros Todros.

4.° Ej. *Expositio* vel *Comp. libri* Aristotelis *de musica* ex versione ej. Todrosii, memb. chart. rabb. 4.° sec. xv.

Notandae interpretum epigraphae. Ad calc. I libri haec legitur: » Absoluta est expositio eorum quae pertractantur in libro topicorum Aristotelis, quam ex arabico in hebr. convertit ill. R. Kalonymus fil. R. Meir. Finita est autem ejus translatio, die IX mensis ellul an. 73 min. supp. ab orbe condito » Chr. 1313. Ad calc. II libri: » Explicit expositio libri sophisticorum Aristotelis, quam transtulit R. Kalonymus fel. m. Completa est autem ejus versio die v mensis tisri an. 74 min. supp. » Chr. 1313. Ad calc. III seu rhetoricorum: » Absolvitque expositionem hujus libri Aristotelis judex Abul valid ben Rascad mense III an. 570 aerae ismaelitarum; ego vero absolvi translationem illius ex lingua arabica in hebr., Todros ex semine

judaeorum mense tertio anni 77 sexti millenarii aerae israeliticae » Chr. 1316. Ad calc. IV libri: » Hicque explicit liber musicae Aristotelis, simulque cum eo ars logicae universa. Contigit autem finis versionis hujus meae Todrosii Todrosii mense tertio an. 97 sexti millenarii (Chr. 1336), hocque in vico Trenkatelies loco habitationis meae sito super flum. Rhodani, quod eum dividit et Arelatem civitatem nativitatis meae ». Ex hisce epigraphis multa in Wolfio supplenda, quaedam etiam emendanda. Sane interpres ille Clemens fil. Clementis fil. R. Meir, qui T. IV p. 791 ab eo vertisse dicitur topica cod. Taurinensis, est Kalonymus noster. Quod ex codice alio Taurinensi A V 9 supra a se relato p. 751 Wolfius ipse dignoscere poterat, mendumque emendare, quod in alterius descriptione tum in nomine, tum in anno irrepserat. Ex ejus enim inscriptione, quae plane cum nostra congruit, eruitur versionis annum esse 5073, non 5074, nisi codex cum topicis sophistica contineat posteriori hoc anno, ut supra vidimus, finita. Nec annus ille 5074 respondet, ut credidit Wolfius, anno nostro 1314, quia incidit in diem V mensis tisrì, seu in septembrem anni nostri adhuc decurrentis 1313. Male etiam posterioris interpretis Todrosii nomen per Theodorum Labbeus et ex eo Wolfius effert T. I p. 18.

Cod. 363

Ordo R. Eliae seu *Excerpta* ex *Pent. Prophetis* et *Agiographis*, memb. rabbin. in 16. sec. XIV.

Cod. 364

Deuteronomium et Canticum cantic., membr. ital. in 12. sec. XIV.

Libri sic seorsim scripti cum masora. Adest sub initium nota antiqui possessoris Eliae fil. Jechiel.

Cod. 365

Aphtaroth, seu *Lectiones proph. totius anni*, memb. hisp. 4.° 2 col. sec. XIV.

Charactere scriptus luculento et diligentissime, sed ab initio ac fine mutilus.

Cod. 366

R. David Kimchì *Commentarius in Psalmos*, memb. rabbin. in fol. minori sec. XIII.

Etsi antiquus codex, illud tamen habet singulare quod loca christianis injuria ac praesertim quae ad Psal. II adversus nos disputantur, caute praetermittat, contra ac fiat in reliquis. Explicit Psal. CXVIII.

Cod. 367

Psalterium cum *Comm.* r. David Kimchì, membr. rabb. 12 maj. sub fin. sec. xiiI vel init. xiv.

Sacer textus rabb. litteris et ipse exaratus est cum punctis, sed majoribus quam commentarius, qui exteriorem marg. occupat. Psalmi numerantur 149. Ad calcem: » Ego Samuel fil. r. Beniamin vendidi hoc Psalter. cum comm. r. Kimchì r. Jacobo fil. Elchanan de Monticelli die xxv mensis nissan an. 5118 ab O. C. », Chr. 1358. Versa vero pag. quaedam apparent notae nativitatis et obitus ann. 94, 108, 110, Chr. 1334, 1348, 1350. Rarior sacri textus lectio Ps. v 1 in *Schol. crit.* ad hunc locum.

Cod. 368

Agiographa, seu *Psalmi*, *Job*, *Prov.*, *Daniel*, *Esdras*, *Nehemias*, *Paral.* *cum utraque masora*, membr. germ. 4.° 2 col. sec. xiiI.

Forte sub init. seculi. Praestantioris notae codex, in quo character vergit ad germ. retenta in nonnullis litteris forma intermedia, nullae initiales litterae majores, libri vero poetici alternis lineis conscripti. Ad calcem: » Simson filius Nachman puncta addidit huic libro, absolvitque eum die iiI mensis adar secundi ad usum r. Mosis Mezae ». Numerat psalmos 153, multasque varias lectiones editae collationi suppeditat, modo unicas, ut Psal. lI 16, Prov. xI 19, Job xxxv 9, iI Paral. xix 8, modo fere unicas, ut Psal. lv 22, I Paral. xxiI 9, modo vero rariores, et in paucissimis mss. servatas, ut Psal. xxviI 13, liI 8, Prov. I 15, Esd. iI 18, I Paral. viiI 37, iI Par. viiI 9, xxxv 4.

Cod. 369

Psalmi Job Prov. et v Megh. seu *Ruth*, *Cant.*, *Eccle.* *Threni*, *Esther*, memb. rabb. in 4. min. sub fin. sec. xiiI.

Sub finem haec leguntur: » Absolutus est hic liber opera Josephi filii Sabtaei fil. r. Sal. f. m. ». Unicus Prov. iiI 18, fere unicus Psal. lxxxiv 7 et Job. xviI 2.

Cod. 370

1.° R. Obadiae Sphorni *Commentarius in Psalmos*.

2.° Ejusdem *Comm. in Job*.

3.° Ej. *Decisiones* et *Epistolae*, chart. rabb. 4.° sec. xvI.

Uterque commentarius editus est, ineditae ac Wolfio ignotae decisiones et epistolae, quarum binae datae sunt ad rabbinos Ferrarienses, tres ad r. Chananael Sphornum, una ad Henricum magnum Galliarum regem, quum ad eum misit auctor Comm.

suum in Ecclesiastem. Qui supplementa parant ad Wolfianam *Bibliothecam*, notent etiam aliud Sphorni nostri opus a Wolfio omitti, videl. ejus comm. in Pirkè avòth, qui excusus est in Machazor Bononiensi an. 1541, eo adhuc vivente.

COD. 371

1.° ANONYMI *Comp. libri Chovàd allevavòth* R. Bechai.

2.° R. BECHAÌ FIL. JOSEPHI *Tochechà, Precatio ad Deum*.

3.° R. SAMUEL ABEN TIBBÒN *Rùach chèn, Spiritus gratiae*.

4.° R. JEHUDAE CHARIZÌ *Rationes animae et corporis*.

5.° R. SAL. GAVIRÒL *Chèder malcùd, Corona gloriae*.

6.° ALBERTI MAGNI *Diss. de virtutibus* vel *facultatibus animae* in comp. redacta et hebr. translata a R. Jehuda bar Moscè.

7.° R. JEDAJAE BADRESCITAE seu SAL. GAVIRÒL *Mivchàr appeninìm, Delectus margaritarum*.

8.° ANON. *Jesod ahiràh, Fundamentum timoris*.

9.° R. KALONYMI *Mescarèd moscè, Minister Mosis*.

10.° R. MOSIS MAIMONIDIS *Epistolae* et *Quaesita ac responsa*, chart. rabb. 4. sec. XV.

De Chovad allevavòth, celebri opere morali R. Bechai, diximus ad cod. 213. Ignoti auctoris est quod hic sistitur, ejus comp. in x sectiones divisum. Multas is laudes R. Bechai, ejusque libro et interpreti Jeh. Tibbonidi in praef. tribuit. Illae Charizii טענות Rationes vel argumenta de anima et corpore ex sect. XIII ejus Tachchemonì sunt desumpta. Diss. de facultatibus animae extat etiam in cod. 315, ad quem observatum a nobis est nomine fratris ord. praed. Albertum magnum innui, nec hunc unum tractatum, sed alios multos philos. a Jehuda illo filio Mosis fil. Dan. Romano fuisse in comp. redactos et hebr. translatos. Sectiones libri Mivchàr appeninìm alphabetico ordine dispositae sunt, et quidem a scriba ipso, ut patet ex verbis communi titulo additis: » ego vero descriptor scripsi illum per sectiones alphabetice dispositas »: Quod idem fit in cod. 1125. Qui statim sequitur, libellus Jesòd aijràh, ineditus non modo is est, sed et ignotus, auctorisque incerti, qui metrice eum composuit, et in totidem saharìm, seu sectiones divisit, ab jràh seu timore exorsus, unde liber nomen sortitur, et ad orationem ac religionem, legem ac sapientiam, aliasque virtutes progrediens. Occurrit iterum in cod. 1237. Anonymus est in hoc codice liber Mescared moscè, quem tamen R. Kalonymi discipuli

Mosis esse supra animadvertimus ad cod 207.

COD. 372

R. JEHUDAE FIL. MOSIS filii Danielis *Expositio kadisc* et *kedoscà*, memb. rabb. nitid. in 4.° sec. XV.

Ineditum opus, constans sectionibus 208, cujus alterum exemplar supra produximus ad cod. 129. Alia auctoris opera, pariter inedita, vide ad eundem codicem, et ad 286, 315, 776, et 1174.

COD. 373

MACHAZÒR *ital.* cum *Sectionibus Pent.* ac *Proph.* et *Psalmis* occurr., et *Pirkè avòth*, membr. rabb. 4.° maj. sec. XV.

Plura alia occurrunt, ut Jehudae Levitae hymnus Mì camòcha, Azaròth Eliae et Gavîròl, carmen Aben Ezrae אעירה, Rescùd animae Joabi de Bethel, Rescud Kadisc R. Jehudae, Vidui Saadiae, Selichà R. Josephi, aliae R. David, Sal. Katòn, R. Abrahami, R. Mosis, plures R. Biniamini, variae Jehudae Levitae, Musàph diei expiat. Jochanan Zakèn, et Sal Gaviròl Chèder malcùd.

COD. 374

ORDO JUD. PRECUM cum *Cantico Exodi* ac *Psal.* occurr. memb. ital. mutilus 12. sec. XIV vel init. XV.

COD. 375

ORDO PRECUM cum *Psal.* occurr. memb. ital. 12. sec. XIV vel init. XV.

COD. 376

APHTARÒTH seu *propheticae Sectiones*, memb. germ. 4.° sub fin. mutilus sec. XIII vel init. XIV.

COD. 377

PROVERBIA cum *Comm.* R. Immanuelis filii Salomonis, membr. nitid. in fol. 2 col. sec. XIV, vel init. XV.

Sacer textus litteris italicis cum punctis, vergente tamen pe ad formam germ., commentarius rabbinicis. Ad calcem: » Benedictus misericors qui adjuvit nos ». Rariorem lectionem suppeditat ad cap. XXIV 28.

COD. 378

MACHAZÒR seu *Purim* et *Pèsach* cum libro *Esther* et *Cantico canticorum*, *Sect. biblicis* ac *Psal.* occurr., item cum *Com. precum* anonymo, et Maimonidis *Comm. Pirkè avòth* ex versione Sam. aben Tibbon, membr. semirabb. mutilus in 4.° maj. sec. XIII.

Vetustus codex, singularibus instructus lectionibus, unicus Exod. XII 16, rar. Esth. IX 22. Habet etiam Targum in sectionem Exodi XIII, XIV, XV, ex Onkeloso et Pseudo-

jonathane mixtum, et valde dissentiens, item ordinem constitutionum paschatis R. Matathiae filii Jechielis, et ad ejus marg. Comm. Samuelis de Peleysa vel Fleysa fil. Salomonis.

COD. 379

AGIOGRAPHA, seu *Psalmi*, *Prov.*, *Job*, *Canticum cant.*, *Ruth*, *Threni*, *Eccle.*, *Esther*, *Daniel*, *Esdras*, *Nehemias*, membr. german. in fol. min. vel 4.° maj. 2 col. sec. XII.

Codex inter pretiosiores et antiquiores, uberioresque variarum lectionum fontes collocandus, qui incipit Psal. XLIX 15, et desinit Neh. XI 4. Masora nulla, nullum kerì, libri poetici alternis lineis divisi. Sub finem quorumdam librorum occurrit summa versuum, sed brevior. In summa Jobi numerandaque medietate libri, profertur consuetus versus 16 cap. XXII, sed cum varia lectione בלא עת, ut alii codices legunt utriusque collationis a me ad hunc locum allati, quibus noster hic addendus. Unicus est Psal. XLIX 12, CX 1, CXV 11, Job XV 20, XX 4 et 25, XXIV 6, Dan. IX 20 bis, Esdr. VIII 19, X 29, Neh. I 3, VII 59, quasi unicus Ruth II 23, Psal. XLIX 19, CIII 20, CXXXII 12, Job XXXII 28, XL 2, Thren. IV 16, Nehem. IX 22, servat autem lectiones perraras Job XV 12 et 24, XXIV 22, XXVIII 23, Eccle. X 14, Neh. VII 57.

COD. 380

BIBLIA, seu *Libri Samuelis* ac *Regum*, *Prophetae posteriores*, seu *Jeremias*, *Ezechiel*, *Isaias* ac *XII Minores*, et *Agiographa* seu *Psalmi*, *Prov. Job*, *Daniel*, *Esdras*, *Neh.*, *Paral.*, *Canticum*, *Ruth*, *Threni*, *Eccle.*, *Esther*, membr. germ. fol. 2 col. an. 1296.

Incipit I Sam. XIV 46, et desinit Esth. VIII 11. Ad calcem minorum Prophetarum legitur: » Roboravit se confirmavitque scriba Isaac fil. sancti R. Salomonis, cujus memoria sit in benedictione. Laus Deo. Scripsi Prophetas istos ad usum R. Eliae fil. Salomonis, eosque absolvi feria III die XVI mensis av an. 5056 a creatione mundi », Ch. 1296. Deinde repetit scriba nomen suum. Initiales litterae majores, Jeremias primus posteriorum prophetarum, Isaias tertius. Perpetuae ad marg. notae conspiciuntur, quibus sive hebraico, sive germ. sermone vocabula sacra exponuntur, crebra etiam verba in textu omissa et restituta, quae non exiguam produnt scriptoris indiligentiam. Pretiosus tamen codex habendus propter plurimas

quas continet, egregias et insignes varias lectiones, saepe etiam singulares et unicas, vel rarissimas. Unicus est I Sam. xxv 7, Isaiae xxI 16, xxvI 19, xxix 9, xxxI 8, xliv 11, lix 10, et 18, Ezech. xvI 23 et 25, xvI 47, Joel iv 8, Amos ix 6, Psal. xxiv 3, lxviiI 5, lxix 27, Prov. I 25, Job xxxviI 24, xl 22, I Paral. I 30, xvI 19, fere unicus Isaiae xI 10, xxxviI 14, Osae iv 19, Habac. I 3, Cant. I 5, Ps. xlviiI 8, cxxxiI 12, Prov. xvI 11, xxviI 16, Job xxxiv 31, Nehem. viI 73, I Paral. xiv 11, rarissimas exhibet lectiones Isai. lxI 8, Jerem. xlix 5, Ezech. l 34, Mich. v 3, Psal. x 9, lxxiI 18, lxxviI 3, cxxv 3, Prov. xxx 1, Job xxviI 19, xxx 13, Dan. viiI 27, x 12, Neh. ix 4, I Paral. xxiI 19, iI Paral. viiI 9, xxviiI 19, xxxI 13 et 15, xxxv 4.

Cod. 381

Ordo jud. precum *cum Psal.* occurr., memb. rabb. 12. sec. xiv.

Iis quae ad calcem subjiciuntur, aurei tituli praefixi et ornati.

Cod. 382

Anonymi *Kinòth* seu *Carmina lugubria*, et *Precationes rythmicae*, chart. rabb. 8.° sec. xvI.

Proponuntur illae kinòth in morte patris, matris, uxoris, filii, doctoris, discipuli, aliorumque, saepeque in eodem subjecto et genere mutantur.

Cod. 383

Comp. Machazor cum *Cantico* Mosis, *Psalmis* occurr. et *Pirkè avòth*, membr. rabb. 4.° min. sec. xv.

Habet et Jeh. levitae Hymnum ante festum purìm, Aben Ezrae bina Carmina, Rescud Kadisc r. Jehudae, Selichà r. Josephi, aliam Sal. Katòn, ac r. Biniamini varias.

Cod. 384

Pentateuchus cum *Aphtaròth et v Meghillòth*, memb. hisp. 4.° 2 col. sec. xiv.

Eleganter scriptus et accuratissime, nec variis lectionibus destitutus. Ecclesiastes praecedit Threnos, ad calcem vero binae additae sunt a recentiori manu propheticae sectiones.

Cod. 385

Psalterium, memb. rabb. 16. sub fin. sec. xiv vel init. xv.

Titulus praesefert non modo vocabulum אשרי majoribus rubrisque litteris exaratum, sed et Davidis imaginem variosque ornatus auro minioque depictos. Idem elegans ornatus conspicitur sub

init. cujuslibet libri ex quinque, in quos dividuntur psalmi, initiales vero dictiones seu tituli constant et ipsi maj. litteris modo rubris, modo caeruleis.

Cod. 386

Siddur, sive *Machazòr parvum* cum *Threnis, Esther, Pirkè avòth, Pizmonìm*, Gavirolii *Azaròth, Sect.* ac *Psalmis* occurr., ad marg. vero *Ruth, Psalmis, Cantico canticorum* et *Ecclesiaste*, membr. hisp. in 12. sec. XIV vel init. XV.

Adsunt etiam Threni in collatione omissi, sed in *Scholiis crit.* suppleti, raramque lectionem suppeditat Psalm. XVIII 15.

Cod. 387

R. Sal. Jarchì *Comm. in Prophetas priores ac posteriores*, seu *Josue, Judices, libros Sam.* et *Regum, Jeremiam, Ezech., Isaiam* ac *XII Minores*, membr. rabb. in fol. 2 col. sec. XIII.

Antiquus et optimae frugis codex, in quo praeter textus discrepantias crebrae ad marg. producuntur notae ac collationes aliorum exemplarium. Jeremias primus hic est inter majores prophetas juxta canonem talmudicum, servatque sub finem Ezechiel amanuensis nomen, cujusdam Gabrielis.

Cod. 388

Machazor *jamìm noraìm* seu *Dierum terribilium* cum *Sect. bibl.* ac *Psal.* occurr., memb. ital. 4.° maj. sec. XV.

Cod. 389

1.° R. Simson Nakdan מפתח הדקדוק *Maphtèach addikdùk, Clavis grammaticae*.

2.° Ejusdem *Liber* הקונים *akkonìm*, opus grammatico-criticum.

3.° Anon. *Sectiones de dictionibus sacris linea makàph instructis*, et *Elenchus earum quae habent padach in fine versus*, vel *pesìk*.

4.° Anon. *Commentar. masoreticus in Pent. et Esther*.

5.° Anon. *Comp. Scarascìm*, seu *Lexici* Kimchiani, membr. rabb. 4.° maj. sec. XIV.

Inedita omnia. Clavis illius Simson Nakdàn deest primum folium. Extat tamen ad calcem titulus et auctor. » Explicit clavis grammaticae sapientis R. Simson ». De hac nihil Wolfius nisi in codice Lipsiensi quem memorat libri seq. Akkonìm, sit ejus pars. In nostro distinguuntur. De posteriori hoc agit is T. I p. 1152 et III p. 1160. Wolfius ac Fellerus vertunt *Librum possessorum*. Melius *possessivorum*, nam prima libri sectio, immo prima ipsa verba demonstrant de possessivis agi, quae auctor ver-

borum signa et fundamenta constituit, atque a Saadia Gaon decem הקונים appellari, unde et libri titulus est derivatus. At vero anonymus qui librum hunc descripsit variasque illas sectiones n.° 3 subjecit, notat, non auctorem, sed se eum librum eo nomine appellasse, quia eum possident vel componunt multi veterum. Nota haec habetur ad calcem libri, proditque non modo auctorem ejusque laudes sed et antiquos illos judaeorum grammaticos, quorum nomina apud Wolfium habes ab Abichtio et Fellero recensita. In hujus tamen catalogo pro *auctor libri Jehud*, quod male in יחוד corrigit Wolfius, legendum est R. *Salomon Jasud dictus Parchon*. In Abichtio vero pro *Jorescheth Hasseba* lege *Arèsced ascaphà* ארשת השפה *Pronunciatum labii*, quod est titulus libri. In eorum grammaticorum catalogo numerantur, tum in codice Lipsiensi, tum meo, bini Kimchii, Josephus ac Jacobus. Ac primus quidem, Mosis ac Davidis pater, notissimus est, notumque, etsi ineditum, grammaticum ejus opus Ziccaròn, cujus bini apud nos extant codices mss. At Jacobum illum non nosco, reticentque bibliographi omnes, etiam Wolfius ipse, quamvis videret in Lipsiensi codice ac catalogo disertam fieri ejus mentionem. Mendum ergo cubare hic crediderim a neutro scriba emendatum, Jacobique nomen pro Davidis vel Mosis excidisse. Illud unum addo Jonam ben Ganàch dici cognominatum מאון Maòn, et sub hoc nomine, quod procul dubio ex Marun confictum est, aliquando produci, et recenseri quoque librum ben poràth. Auctoris Simsonis nomen occurrit et in ipsius libri progressu circa dimidium. Quis sit auctor sectionum quae subjiciuntur, comm. masoretici in Pent., et compendii Kimchiani lexici, frustra quaesivi. Vidi tamen Jacobi nomen quando occurrit, punctis designari, procul dubio ad innuendum illius nomen. Commentarius respicit potissimum puncta et accentus, quorum veras lectiones constituit, conferens saepe codices mss. hisp. variasque de iis sacrorum criticorum opiniones. Observo Gen. L 25 addi vocabulum אתכם, de quo in *Variis lectionibus* ad eum locum diximus. Quod argumento est auctorem ob oculos habuisse codicem, qui a masora dissentiebat. Codicem claudit sectio de litteris quae inter se permutantur.

COD. 390

R. SAL. JARCHÌ *Comm. in Pent.*, *V Meghilloth* et *Aph-*

taròth, membr. rabb. 4.° 2 col. an. 1265.

Plura codex ad marg. suppeditat additamenta ex aliis hausta codicibus, interdum et scholia, saepeque textus ipse ab hodierno discrepat. Ad calcem: » Absolvi Aphtaròth. Laus ei qui creavit luminaria, eique tribuam laudes rectas, qui dedit in corde meo, ut instruerem et docerem, ego Moses Chaiim fil. R. Abr., cujus requies sit in paradiso, descripsi hunc comment. Pent., v Meghillòth, et Aphtaròth, finivique illum anno 25 mense tamuz, vel die xxv tamuz ». Extat in textu בכ"ה בתמוז, quod de anno, et die mensis vel si mavis de utroque potest exponi. Vere enim antiquus est codex.

Cod. 391

R. Sal. Jarchì *Commentarius in Pent., in Aphtaroth*, seu *Sectiones proph.*, et *in V Meghilloth*, seu *Canticum, Ruth, Threnos, Eccle., Esther*. Accedunt ad marg. anon. *Chidduscìn, Observationes*, vel *Scholia in Cant., Ruth, et Ecclesiastem*, membr. rabb. 4.° 2 col. init. sec. xiv.

Optimae notae codex multique pretii propter infinitas quas exhibet, Rasciani textus discrepantias et emendationes, nec non propter observationes illas quae ad marg. laterali columna exhibentur, ac videntur procul dubio ineditae.

Cod. 392

1.° R. Eliezer fil. Joël Levitae *Liber Avì hozerì*, et anon. *Liber praeceptorum*.

2.° R. Isaaci Durensis *Liber vetiti et liciti*.

3.° Ej. *Ilcoth niddà*, seu *Constitutiones de muliere menstruata*.

4.° Anon. *Ilcòth scechità et bedichà*, seu *Constitutiones mactationis et probationis*, et *direptionis*.

5.° Anon. *Liber Minaghìm* seu *rituum*.

6.° Anonymi seu R. Jonae Toletani *Liber Chaje olàm*, seu *vitae aeternae*.

7.° R. Esopaei *Kaaràd chèseph* cum alio ejus *Poemate* et *Epistola*.

8.° R. Simeonis fil. Tzadok *Liber Tasbètz* dictus cum *Scholiis*, membr. germ. in 4° sec. xv.

Ineditum librum אבי העזרי Avì ahozerì, seu *Pater meus adjuvans me*, ms. Pragae latere asserit Sabtaeus, et post Sabtaeum Wolfius T. I pag. 176. Recentissimus R. David Azulai in P. II *Scem aghedolìm* fol. 6 de eo agens notat a variis auctoribus produci, potissimum a R. Menachem de Lonzano, sed nec ipse eum vidit. Ad rariores ergo codices is amandandus. At

vero in nostro hoc codice connectitur cum libro praeceptorum, Mosis, ut ego quidem conjicio, Kotzensis, quamquam et Maimonidis, et R. Meir Rothenburgensis et aliorum crebra dentur excerpta. Primum librum Avì hozerì parum accurate subdit Wolfius sistere comm. in varia loca gemarica, nam potius rituales constitutiones, jura ac praecepta illustrat, meliusque ei congruit argumentum alteri nostri auctoris libro Avì asàph ab eo attributum, qui et in hoc nostro aliquando profertur. Editum est, et quidem multoties, Isaaci Durensis opus vetiti et liciti, dictum etiam Saharè durà, a Wolfio recensitum T. I p. 654, et III pag. 560, nosque plura ejus exempla numeramus manu exarata. Sed ineditae, et in sola hucusque Vaticana latentes ejusdem auctoris Ilcòth niddà. Plura etiam exempla possidemus constitutionum mactationis et probationis, ac plerumque cum marg. correctionibus, ut in hoc nostro codice reperiuntur. Eorum pleraque sunt Jehudae fil. Biniamini, sed nostrae ab iis differunt, suntque alterius incerti auctoris. Non minus incertus est auctor libri Minaghìm, seu rituum, qui 31 constitutionibus constat, non minus, si cum hoc nostro plerisque codicibus credimus, auctor Chajè olàm, quem tamen ex fide cod. 1233 esse R. Jonae de Toleto ad eundem codicem detegimus. De pervulgato Esopaei libello morali Kaaràd chèseph, seu scutella argentea, cujus et plura apud nos extant mss. apographa, vide quae ad cod. 62 et 98 adnotavimus. Reliquus est liber תשבץ Tasbètz dictus, cujus tituli siglam male alii per discipulum Samuelis fil. Tzadoch, alii per discipulum Simeonis, alii per responsiones Simeonis fil. Tzemach interpretati sunt, rectissime codex Wolfii ab eo allatus T. III p. 1168 per תוספת שמעון בר צדוק, seu *Additamentum Simeonis filii Tzadok*. Etenim et hanc eandem interpretat. in libri fronte codex hic noster apertissime exhibet, addens eum litteris mandasse in hoc libro singula verba et quaestiones, quarum solutionem exquisiverat a praeceptore suo R. Meir Rothenburgensi. Alia operis exempla sistunt codices 571, 583, 858.

Cod. 393

1.° R. Isaiae prioris *Commentarius in Prophetas priores*, seu *Josuam*, *Judices*, *Libros Samuelis*, *priora capita Regum*, item in *posteriores*, seu *Isaiam*, *Jeremiam*, *Eze-*

chielem, Oseam, Joelem, Amos, Obadium, Jonam, Michaeam, Nahum.

2.° R. SAL. JARCHÌ *Commentarius in libros Regum* in supplementum R. Isaiae.

3.° R. ABEN EZRAE *Commentarius in postrema capita Nahum, in Habacùc, Sephaniam, Aggaeum, Zachariam* ac *Malachiam,* membr. rabb. 4.° init. sec. XIV.

Forte etiam sub finem XIII. Perbrevis Isaiae comm. grammaticus, sive potius notae in prophetas priores editae sunt, praeter libros Regum, in posteriores omnes ineditae, ut animadvertimus ad cod. 195, ubi etiam fuse demonstravimus eas Isaiae priori esse tribuendas, non posteriori, ut Wolfius opinabatur. Earum extant et in aliis bibliothecis nonnulli codices a Wolfio memorati T. I p. 706, et III p. 628. Sub dimidium fere notarum in libros Regum haec describentis verba conspiciuntur: » Hucusque descripsi ex Comm. R. Isaiae fel. mem., nec aliud ulterius reperitur. Deinceps descripsi ex Comm. R. Sal., cujus requies sit in paradiso ». Desunt autem reliqua non ex exemplaris unde apographum nostrum desumptum est, defectu, sed operis ipsius, quod imperfectum auctor reliquit. Nam et codex Masianus licet integerrimus, teste possessore ipso doctissimo, nonnisi septem priora capita libri III Regum complectebatur. Idem dicendum de minoribus prophetis, quorum commentarium non videtur Isaias produxisse ultra Nahum. Sub finem namque hujus prophetae iterum adnotat scriba: » Nihil reperi ultra ex comm. R. Isaiae, quodque subjicitur, est ex comm. R. Abr. aben Eszrae ». Ad calcem autem hujus comm. totiusque codicis haec reperitur epigraphe notatu dignissima: » Exposui eum ego auctor Abraham fil. R. Meir fil. Ezrae hispanus anno 4917 initio mensis tebeth in urbe Rhodi. Dicit descriptor libri hujus: Ego vero Joseph fil. R. Jacob de Modoyl descripsi illum ex autographo auctoris, ejusque verbis nonnulla addidi, quae ipse, dum illum componebat, mihi exposuerat. Tantummodo, eo quod verba essent mea, additamentis his bina puncta apposui sub eorum initium ac finem. Ubicumque ergo duo puncta repereris inter verba, scito hoc esse additamentum expositionis meae ex ore ejus », quam videlicet ore tenus ab auctore ipso accepi. Retenta haec sunt in nostro codice ex ejus autographo, nam et ejus aetas ad Josephi illius Aben Ezrae discipuli aetatem non assurgit,

aliique extant codices eadem legentes, ut Masianus et Anslarianus a Wolfio allati T. I p. 75 et 76. Quorum epigraphes non dubito quin cum nostra conspirent, emendandusque sit *Catalogus* bibliothecae Guillelmi Anslarii p. 36, qui, confusa priori Aben Esrae aera cum descriptione Josephi fil. Jacobi, tradit ab eo descriptos commentarios ex Aben Esrae dictantis ore in insula Rhodo a. 1156. Nam Wolfius eadem repetens T. I p. 706 R. Isaiae, non Aben Ezrae, commentarios et quidem in Prophetas priores ex Aben Esrae autographo eo ipso anno tradit fuisse descriptos, novo procul dubio errore ex *Catalogo* Anslariano hausto confundens Isaiae commentarios cum commentariis Aben Esrae. Conferantur dicta ad cod. 195. Nescio tamen, an in ceteris exemplaribus, distinctio illa additamentorum servata sit, quae in nostro servatur, ejusque pretium ac praestantiam summopere extollit. Illius autem Josephi fil. Jacobi de Modoyl extant etiam in cod. Vatic. Palat. 239 scholia in Aben Ezrae expositionem in I sectionem Exodi, ut notant T. I p. 201 *Catalogi* auctores, qui tamen hebraicis verbis מםודוי״ל perperam lectis pro *de Modoyl* male vertunt *de Mondovì*.

COD. 394

R. LIPMANNI *Liber* נצחון *nitzachòn*, seu *victoriae*, chart. rabb. 4.° sec. XVI.

Pestilentissimum scriptum antichristianum notissimum, ab Hackspanio primum editum et Amstelodami recusum, de quo plura Wolfius T. I p. 734 et III p. 661, et nos in *Biblioth.* nostra *jud. antichrist.* p. 54 ac seq. et in *Bibl.* altera *jud. auctor.* T. II p. 11. Congruit cum edito, paucis exceptis haud magni momenti, nec ultra Jobi initium amanuensis descriptionem protraxit.

COD. 395

1.° ANONYMI *Commentarius* libri *Ruàch chèn*.

2.° ANON. *Comm. octo Perakìm*, seu *Capitum*, Maimonidis.

3.° R. NATHANAEL CASPÌ fil. Nehemiae *Comm. in librum Cuzarì*, chart. rabb. 4.° min. an. 1428.

Non ineditus modo, sed et ignotissimus est fusus hic Nathanaelis Caspì comm. in celeberrimum Jehudae Levitae librum, quem Cuzarì inscripsit. Profundum etiam ipsius auctoris silentium in Wolfio aliisque bibliographis. Folio proxime praecedenti post additamentum aliquod ad eundem comm. occurrit perbrevis Nathanaelis praefatio, in

qua binos suos praeceptores memorat, R. Salomonem fil. Menachem, et R. Perath Maimon. Ad calc. dicitur » Finitus commentarius Cuzar Nathanaelis Caspì feria IV die xxvI mensis sivan an. 5188 ab orbe condito ». Parum abest, quin ex nudo hoc auctoris nomine ac conditione ipsa codicis conjiciam eum esse posse ejus autographum. Porro hoc singulare est quod sub fin. II tractatus extat nota venditionis ex partium consensione scripta manu propria cel. Abr. Peritzòl, vel Farissol Ferrariae an. 280, Chr. 1520.

Cod. 396

1.° R. Joseph Kimchì *Liber* זכרון *Ziccaròn* seu *memorialis*, grammaticus.

2.° R. Jehudae Chiug *Liber* נקוד *nikùd*, seu *punctationis*.

3.° R. Immanuel fil. Salomonis אבן בוחן *Even bòchen, Lapis lydius*, chart. rabbin. in 4.° an. 1428.

Inedita omnia. Primum opus Josephi Kimchii, a Davide ejus filio in Michlol productum, ms. se vidisse in Oppenheimeriana testatur Wolfius T. I p. 562. Aliud ejus exemplar membranaceum et luculentius, ut et binorum sequentium operum, complectitur codex noster 809. Extat et in Angelica in pretioso quodam codice, qui praeter Prophetas priores, Agiographa, Targum ac variorum rabbinorum commentaria, sistit etiam ad calcem illustriora nonnulla scripta grammatica. Sub initium citat auctor ex praecedentibus grammaticis Menachem Saruk, Jonam ben Ganach, Isaacum Levitam, Aben Ezram, Salomonem aben Gavirol, et Abrahamum quemdam ben Kambel ignotum, ut nuper monuimus in *Biblioth.* nostra *jud. auctor.* T. I p. 185. Si judaeos consulis, Jachiadem in primis in *Scalscèled* fol. 54 et R. Jechiel in *Seder adoròth* f. 56, censent ii, quamquam sua stet operi et auctori laus, multis tamen post se parasangis illud relinquere grammatica filiorum scripta, Davidis ac Mosis, nec cum iis patrem esse comparandum, לא היה חכם כבניו. Sed aliter sentiunt doctiores nostrae aetatis christiani philologi, Michaelis potissimum, Brunsius et auctor Ephemeridum Gothae, qui Josephum multiplici doctrina variarumque linguarum, praesertim arabicae, scientia clarissimum, valde extollunt ac singula ejus scripta inedita ut sacrae litteraturae quammaxime utilia, anxie peroptant studiose conquiri et e tenebris erui. Conferatur eadem *Biblioth.* nostra *jud. auctor.* p. 184. Con-

tra in laudando Jehuda Chiug omnes conveniunt, eumque uno ore judaei et christiani ut linguae sanctae restitutorem ac vindicem celebrant. Plura eorum testimonia vide, si lubet, apud Morinum ac Wolfium T. I p. 423, iisque addatur ex recentioribus cl. Fabricy *Des titres primitifs de la révélation* T. II p. 251. Arabice is scripta sua elaboravit, hebraice autem transtulit Moses fil. Samuelis Coèn fil. Gecatiliae, ut constat ex praef. ms. *Grammaticae* Jonae ben Ganach a Morino allata, et ex codice Bodlejano 5941 libri הרקחה, nec non Oratoriano libri הנוח, et utraque ea lingua adhuc in variis bibliothecis delitescunt. Utraque etiam ex Bodlejanis codicibus ea editurus olim erat cum latina interpretatione Gagnerius, ut patet ex ejus *Epistola* ad Wolfium data apud hunc T. III p. 308, sed fata prohibuerunt. Itaque dubitandum non est, quin hebraica versio libri nostri Nikùd Mosis illius Gecatiliae sit. Librum porro ipsum esse rarissimum merito notant bibliographi, nam et diu et frustra a Buxtorfio desideratus est, anxieque quaesitum non nisi in Bodlejana Gagnerius reperit. Postremum codicis opus R. Immanuelis fil. Salomonis, celeberrimi judaeorum poetae, cujus operibus ac mss. codicibus, etsi rarissimis nec in primis ipsis Europae bibliothecis obviis, ditissima est nostra haec collectio, ineditum non modo est, sed et bibliographis omnibus, quotquot hucusque floruerunt, ignotissimum. Argumenti est grammatico-critici, quatuorque constat partibus, in quarum prima agit de dictionibus, quae in sacro textu deficiunt, in II de iis quae redundant, in III de iis quae permutantur, in IV de singularibus aliis rebus vel accidentibus in lingua sancta vel sacro codice occurrentibus. Quaelibet pars in plures sectiones vel capita dividitur, in quibus singulis eae dictiones, de quibus agitur, alphabetico ordine afferuntur et illustrantur. Pars I habet sectiones XXIX, in quarum prima recensentur sacra vocabula, in quibus deficit littera aleph, in secunda ii versus, in quibus variae dictiones desunt, in tertia ii, in quibus deficit אל, in quarta ii, in quibus אם, in quinta ii, in quibus אמר, in sexta ii, in quibus אשר, et sic de reliquis. Post sectionem LXVI partis IV in utroque codice, hoc et 809, perbreve occurrit operis additamentum ab auctore ipso, ut opinor, profectum, deinde vero haec subscriptio: » Perfectus et finitus est, laus Deo seculi.

Ego minimus in millibus Salmiel filius Tzurì scripsi hunc librum, auxilio Dei rupis meae et salutaris mei, in gratiam R. Josephi, eumque absolvi die x mensis marchesvàn an. 5189 a creatione mundi ». Sequuntur pagina codicis postrema nonnulli versus vel epigrammata ex aliis libris deprompta.

Cod. 397

R. Samuelis de Salistas *Compendium libri Mordachì*, seu *hebr. rituum*, cum *appendice* aliarum *constitutionum*, membr. rabbin. in 4.° an. 1391.

Sub finem constitutionum repudii hanc reperio notam: » Finiunt constitutiones de repudio, et explicit Mordachì, quod in summam redegit R. Samuel, quem Deus tueatur, de Salistas, additis alicubi aliis observationibus quas conscriptas invenit in utroque libro, majore et minore praeceptorum, ubi fusior illustratio erat necessaria. Illud porro complevit die xI mensis tisrì an. 137 min. supp. (Chr. 1376), adjunctis praeterea constitutionibus tephillin, mezuzòth, libri legis, et tzitzith ». Diversissimum ergo est hoc compendium ab eo, quod edidit R. Josuas Boaz, a Wolfio productum T. I p. 460, ineditum, ignotum, auctor ipse Wolfio ignotissimus, ac Boazo multo antiquior. Scriba hoc descripti codicis testimonium ad calcem reliquit: Ego Abraham fil. R. Salomonis dicti de Baniolas scripsi hunc librum, qui vocatur Mordechì parvum, in gratiam cl. R. Eliae fil. R. Jacob, absolvique illum mense nissan sectione *Quoniam redemit Deus Jacob*; Deus misericordiis suis mittat nobis redemptorem, sicut scriptum est, *et veniet ad Sion redemptor*, sic fiat, anno 151 min. supp. »

Cod. 398

Abu Chamed Algazalì מאזני צדק *Mozenè tzèdek*, seu *Bilances justitiae*, ex hebr. versione R. Abrahami fil. Sam. levitae ben Chasdai, memb. et chart. rabb. in 4.° sec. XIV.

Moralis liber ineditus, dictus etiam liber midòth, sub quo titulo extat in Vindobonensi. Sub hoc nostro referunt Sabtaeus et Bartoloccius, sub utroque Wolfius T. I p. 3 et 58. Sed titulum hunc libro dedisse interpretem ipsum Abr. Chasdai ex ejus praef. patet pro altero paullo diverso מאזני המעשה *Bilances praxis*, quo eum auctor insigniverat. Ad calcem binis recentioribus foliis suppletus est, hac apposita epigraphe: » Finitus absolutusque est liber Mozenè tzèdek hic Ferrariae feria vI die xvII men-

sis adar an. 5286 min. supp.; vocatus porro est liber hic arabice מזאן אלעמל, idest Bilances actionis ». Constat Biurim, seu expositionibus, observationibus, capitibus xxxII, subque eodem titulo reperitur quoque in Bodlejana. V. novum Uri *Catalogum* cod. 392 p. 74.

Cod. 399

1.° Anonymi *Liber isagogis, seu manuductionis*.

2.° R. Sabtaei Dagolo fil. Abr. *Comm. in lib. Jetzirà, dictus Tachachmonì*, membr. et bomb. rabb. in 8.° sec. xiiI.

Prior liber sex tantum foliis constans videtur posterioris veluti praefationem vel introductionem sistere. Posterior multo fusior in titulo vocatur etiam *Tzafnad paanèach*, aperteque post rythmicam praef. auctoris nomen exhibet Wolfio ignotissimum, Sabtai fil. R. Abr. cognominatum Dagolo medicum. Addit se ex urbe Orès oriundum, ex quo ab ismaelitis captivus factus est die ix mensis tamuz an. 4685 ab orbe condito, Ch. 925, occisi decem eorum sapientes ac doctores, parentes ac proximi Panormum et in Africam deportati, ipse autem aetate xiI annorum redemptus relictusque sub romanorum vel christianorum dominio. Vacans porro medicinae et astronomiae, testatur legisse se ac descripsisse non modo suae nationis libros, sed graecorum, turcarum, babyloniorum, indorum, christianorum, eos conferens cum Baraità Samuelis, libro et ipso ignoto, qui siderum scientiam continebat, ac doctrinam praeterea excipiens ac praecepta Bagdas cujusdam Babylonii, quem fere unicum repererat in astronomia doctissimum. Hoc idem opus exhibet infra cod. 417.

Cod. 400

Anonymi *Compendium constitutionum ritualium* ex variis auctoribus compilatum, membr. rabbin. in 8.° initio sec. xv.

Idest ex Maimonide, ex Alphesì, ex Mose Kotzensi, ex libro Ilcòth ghedolòth, seu magnarum constitutionum, ex ms. R. Baruch chaiim, aliisque, ut ad calcem monet incertus auctor, qui saepe minori charactere textui notas et scholia addidit.

Cod. 401

Estheris Meghillà seu *Volumen* membr. hisp. lin. 14 sec. xv.

Cod. 402

1.° R. Josephi Caspì צרור הכסף *Tzeròr achèsef, Fasciculus argenti*.

2.° Anon. *Opusc. logicum*.

3.° R. ABR. AVIGADOR ben Mescullam סגולת מלכים *Segulad melachim*, *Pecul. regum*.

4.° ANON. *Modus conficiendi atramenti* a variis scribis adhibitus.

5.° R. CHANANIAE FIL. ISAACI מוסרי *Musarè afilosofim*, *Morales sententiae philosophorum* hebraice versae a R. Jehuda filio Sal. hispano fil. Charizì.

6.° ANON. *Mislè*, seu *Prov. quinquaginta discipulorum*.

7.° R. DAVID KIMCHÌ *Comm. in Amos*, *Michaeam*, et *Isaiam*, seu *in nonnulla eorum loca inter judaeos ac christianos controversa Excerpta*, cum *notis* marg. R. Daniel fil. Sal. Rophè.

8.° R. IMMANUELIS FIL. SALOM. *Compositio I poetica*.

9.° PRETEGIANNI DE INDIA *Epistola* ad Eugenium papam an. 1442.

10.° R. SALOMONIS FIL. MOSIS ויכוח *Vicùach* seu *Disputatio* contra christianos cum *Comm.* ad marg. vel supplementis R. Danielis fil. Salom. Rophè.

11.° R. ISAACI LATÈPH fil. Meir *Epistola scripta ex Jerusalem*.

12.° KIMCHÌ R. DAV. *Expositio Psalmorum qui Messiam respiciunt*, ex ejus *Comm.* excerpta.

13.° R. LEVI GERSONIDIS *Expositio LXX hebdomadum Danielis*.

14.° *Epistola* synagogae Hierosolymitanae *de X tribubus israeliticis et earum regno*, et alia synagogae Forojuliensis de eodem argumento. Subjiciuntur *narrationes* quaedam viatoris Cretensis factae R. Dan. Rophè an. 233.

15.° R. IMMANUELIS FIL. SAL. *poeticae Compositiones*.

16.° R. DANIELIS ROPHÈ *Compendium Comm.* Aben Esrae et Gersonidis *in Genesim* cum notis marg. manu ipsius Danielis.

17.° R. DAN. ROPHÈ *Expositio vocum quae in Aphtaris occurrunt*, ex Kimchii *libro Radicum*, et *Commentariis* petita cum notis marg. ipsius Danielis.

18.° ANON. *Compendium libri Miskàl*, *Trutinae sapientiae*, seu *Libri de anima* R. Mosis filii Scem Tov Legionensis.

19.° *Versus biblici* nonnulli decerpti cum variis accentibus ad exercitationem.

20.° R. LEVI GERSONIDIS *Expositio Comm.* Averrois *de animalibus*, chart. rabb. in 4.° an. 1444.

Primum ineditum Caspii opus, ut auctor ipse in praef. monet, est compendium logicae, ex Abunasare potissimum et Averroe compilatum. Perperam Wolfius T. I pag. 542 scribit Abumassar, maleque T. III pag. 407 hoc scriptum a comp. logicae a-

ristotelicae distinguit. Complectitur summam libri introductionis Porphyrii, vel isagogis, cathegoriarum Aristotelis, libri de interpretatione, libri analyticorum, vel de syllogismo. Librum hunc suum memorat auctor in praef. ad *Kevutzàd achèsef*, de quo multa ad cod. 755, ubi et plura alia inedita et ignota hujus auctoris scripta proferimus. De tertio opere pariter inedito R. Abr. Avigador agit Wolfius T. III p. 56 ex le Longio ac ms. ab eo memorato, sed multa corrigenda. Primo suppleri debet cognomen Avigador ab utroque omissum, ac propterea qui hic recensetur rabbinus n.° 120 b est idem cum eo, quem affert T. I p. 30 n. 46. Dein verus operis titulus ex nostro codice supplendus, ac rectius ejus argumentum statuendum, quod est logicae compendium sistere ligata ac metrica oratione, soluta vero ejus expositionem et commentarium. Abjicenda demum futilis quae subjicitur conjectura, nostrum auctorem eundem esse cum Abr. ben Mescullam Mutinensi, qui editionem Zoàr Mantuanam curarit an. 1560. Multo namque antiquior est noster auctor, qui in praef. testatur se opus hoc composuisse anno aetatis suae XVII, mense sivan anni minoris aerae 127, Chr. 1367, ex quo certa auctoris hujus aetas colligitur. Ad calcem hujus operis Abr. Avigador legitur: » Completum est opus sanctum opera Eliae praeceptoris filii R. Mosis, fuitque finis ejus feria VI, die II mensis chislev an. 205 VI millenarii. Jam vero scripsi illud pro R. Jekuthiel fil. R. Salomonis ». Aliud operis exemplar servat Oratoriana Parisiensis, teste le Longio, ubi et hebraea nostri auctoris grammatica ms. reperitur. Aliud Bodlejana ex novo Uri *Catal.* p. 77 cod. 406. Nec enim dubito quin idem cum nostro hoc sit libellus de syllogismorum terminis, figuris et modis qui eo continetur. In eadem bibliotheca extat et nostri auctoris Comm. cabbal. in Pent., ineditus nec a Wolfio memoratus. V. ej. *Catal.* p. 26 et 63 cod. 145 et 345.

De libro Musarè, seu sententiis philosophorum, qui v.° loco occurrit, fuse agit Wolfius T. I p. 385. Illud unum moneo in nostro codice titulum praeseferre ספר מליצות הפילוסופים וחידותם ומוסרם, ac Charizii praefationem, inscribi בחינת משלי הפילוסופים. Singula haec nomina fere synonima sunt, cunctaque libro conveniunt, ac propterea qui extat in bibl. Leidensi sub titulo aenigmatum

idem cum nostro habendus. Proverbia L discipulorum eadem sunt cum L Proverbiis quae ut extantia in bibl. Vaticana memorat ex Bartoloccio Wolfius T. II p. 1304. Ea Venetiis edita sunt an. 1519 sub titulo Mislè chachamìm, seu Proverbiorum sapientum; unum enim idemque, facta collatione, est opus, non diversum, ut credidit Wolfius, num. 452 inter anonymos a praecedenti 221 perperam distinguens. Recusa sunt autem in Ferrar. edit. Rephuàd ghevià, vel Medelae corporis R. Jeh. Charizii, in qua secundo loco nostra haec proverbia exhibentur, tertio vero Segulòth, virtutes, seu remedia Aben Ezrae. At vero quum proverbia haec titulus non referat, ea reticuit Wolfius, titulumque ipsum editionis describens vol. III p. 341, non pauca committit errata, atque illud in primis, quod ubique opusculum in plurali Rephuòth inscribat, quod in singulari erat efferendum. Miror autem, quomodo subdere ibidem Wolfius potuerit, » quis ille Esra sit, non dixerim ». Etenim editio ipsa Ferrariensis, quam in Oppenheimeri bibl. se vidisse testatur T. I pag. 456, segulòth ipsas in corpore exhibens, quas in titulo brevius Ezrae dixerat, novo titulo majoribus expresso litteris apertissime monet esse Aben Ezrae. Atque hinc in Wolfio qui Aben Ezram medicum appellaverat, sed nullum medicum ejus opus produxerat, opusculum hoc supplendum est, ut supplendum est in nupera *Bibl.* nostra *jud. auctorum*, ubi fuse de Aben Ezrae operibus egimus. Supplenda etiam sunt pleraque quae hic adnotamus in Ferr. illius editionis descriptione, quam olim dedimus *De typogr. heb. ferrar.* p. 26. Tria quae ordine succedunt scripta praeter Danielis notas edita sunt, sed ineditum et ignotum est opus antichristianum R. Sal. filii Mosis ac supplementa Danielis Rophè, ignotus auctor uterque nisi posteriorem eundem esse credas cum R. Salom. filii Mosis de Algerio, de quo Bartol. T. IV p. 386 et Wolf. T. I p. 1078 et III p. 1063. Consulantur quae de iis diximus in *Bibl. judaica antichristiana*. Ac marg. quidem notae ej. Danielis, quae ad singula scripta conspiciuntur, ejusque excerpta propria ejus manu conscriptae sunt, adeoque codex illius autographus habendus est.

Porro ex titulo compendii nostri libri Miskal n.° 18 luculenter confirmatur, quod ex titulis aliorum codicum, videlicet Lugdunensis et Huntingtoniani, eruerat Wolfius

T. III pag. 817, eum a libro de anima non esse distinguendum, ut distinxerat T. I p. 898. Nota marg. nostri codicis prodit auctorem eum composuisse in grat. Jacobi discipuli sui, ac scripsisse praeterea אור זרוע, de quo silet Wolfius, et librum הרמון Arimòn, seu melogranati, cujus argumentum, quod ignorare se idem Wolfius profitetur, nota ipsa manifestat, subdens agere de טעמי המצות, seu rationibus praeceptorum. Librum etiam hujus tituli et ejusdem plane argumenti, ut ab alio Nachmanidis distinctum, nec a nostro, ut puto, diversum ex libro Nefesc chochmà memorat fol. 177 b auctor *Sèder adoròth*.

COD. 403

MACHAZÒR hisp. cum *Sect. biblicis* ac *Psal.* occurr., *Constitutionibus ritualibus, Commentario agadà et oscahòth, Pirkè avòth* cum *Comm.* Maimonidis, *Minagh* seu *Ritu* Treves, R. Jonae de Toleto libro *Chajè olàm*, R. Bechai *Sulchàn arbà*, R. Nachson *Tekuphoth* vel *Revolutionibus*, *Piskè* R. Jerucham, R. Isaaci Durensis *Saharè dura*, R. Baruch Wormatiensis libro *Terumà*, R. Esopaei *Kaaràd cheseph*, membr. rabbin. in 8.° an. 1470.

Horum plura exhibentur ad marg. exiliori charactere. Dinìm petiti sunt ex Tasbetz, Mordachì, Maimonide, Rascì, Samàk. Dantur etiam excerpta Sal. fil. Simson Vitri, auctoris apud Wolfium ignoti, ut ignotus est Minagh Treves, qui infra occurrit. Nihil etiam habet Wolfius de Revolutionibus Nachson, sed ejus tamen esse appendicem ad calendarium R. Uri latine a Christmanno editam opinatur T. I p. 911, atque idem forte est opusculum. Nihil tandem de Decisionibus Jerucham sub hoc titulo, quae tamen ex ejus Toledòth adam videntur desumptae. Sub finem I partis: » Ego Peretz fil. Salom. Coèn scripsi hoc Machazòr... et absolvi feria II an. 230 min. supp. ».

COD. 404

PENTATEUCHUS cum *Targum* Onkelosi et inedito ac rarissimo *Comm.* R. Immanuelis fil. Salomonis. Accedit anon. *Index praeceptorum*, ad calcem vero ej. Immanuelis *Carmen de XIII fidei articulis*, membr. rabb. fol. 2 col. ac 5 voll. sec. XV.

Si quod est verum bibliothecae cimelium, noster hic codex est, qui praeter sacrum textum et Onkelosi paraphrasim insignissimum ac fusissimum continet Immanuelis commentarium in Mosis libros, tantae raritatis, ut nul-

la ejus apud Wolfium ceterosque christianorum bibliographos extent vestigia, nulla vel fere nulla apud doctiores judaeorum scriptores italosque rabbinos a me interrogatos notio, nulla sive in pubblicis principum, sive in privatis judaeorum bibliothecis quae innotuerint, exempla. Jachias tamen, quod Bartoloccium ac Wolfium fugit, notat in *Scalsceled* fol. 54 b auctorem nostrum in Pent. scripsisse, quod ex Jachia repetit auctor *Seder adoròth* fol. 58, sed tanta quidem uterque brevitate, ut nullum unquam operis exemplar videantur vidisse. Eadem verborum copia ac fusissima interpretandi ratio in Pent. conspicitur, quae in Proverbiis, cum eo tamen discrimine quod grammatica vocum expositio et analysis hic plerumque praemittitur, quod nequit non esse lectori gratissimum et utilissimum. Sacer textus charactere paullo crassiori, sed et ipso rabbinico sistitur cum punctis, quem ad Deut. XXIII 13 unicum esse in edita codicum clavi observavimus. Ipsi subjicitur sine punctis primum chald. paraphrasis deinde Immanuelis expositio, cujus dantur identidem ad marg. variae lectiones, emendationes, additamenta. Primo ac III vol. praefigitur praeceptorum index ex Maimonide aliisque scriptoribus ab anonymo contextus, qui viderat ea ab Immanuele aliter exhiberi. Ac in posteriori quidem apographo, quod quare repetierit, non video, illud singulare, quod scriptura alternis coloribus, nigro, rubro, viridi est exarata. Qua colorum varietate saepe etiam distinguuntur tituli vel notae marginales. Quod ad calcem occurrit poema de XIII fidei fundamentis, illud editum est in carminum collectione, quam auctor Mechabberòth inscripsit, sub finem IV compositionis. Poemati haec in codice subditur epigraphe: » Carmen hoc fundatum super XIII fundamentis, quae sunt articuli et fundamenta religionis, et basis et radix fidei israelis, est opus justi R. Immanuelis fel. mem. fil. R. Sal. Romani ».

COD. 405

MACHAZÒR *germ. ritus* cum *Sect. bibl.*, ac *Psal.* occurr., *Cantico cant.*, *Ruth*, *Threnis*, *Esther*, *Targum* Onkelosi ac Jonathanis *in varias sectiones*, anon. *Comm. in Canticum, et Esther*, *Pirkè avòth cum Comm.*, *excerpto Tanchumà* in *Exodum*, *Constitutionibus multis ritualibus*, *Comm. Kruvàtz*, alioque in *preces* et *constitutiones*, memb. in fol. sec. XIII.

Quae in interno textu prostant, litteris exarata sunt germ. quadratis, quae ad marg., ut commentarii, rabbinicis. Ad calcem Pirkè avòth legitur nomen scribae Eliezeris fil. Sam. Coèn, et ad oram a folii notantur aerae nativ. filiorum an. 1327, 1328, 1330. Sacri libri et biblica excerpta amasorethicas servant lectiones bonae notae et rariores, unicus est codex II Sam. XXII 29, fere unicus II Sam. XXII 8, et II Reg. XXIII 21. Idem dicendum de chald. paraphrasi, quae alternis versibus sacro textui subjicitur. Et in sectione quidem Habacuci duplex ea extat, altera in textu valde discrepans, altera ad interius latus Jonathanis. Ignoti sunt comm. in Canticum et Esther, et valde antiqui, veterum plerumque expositiones, ut in medrascim fit, suppeditantes, ab iis tamen diversi. Commentarius in Threnos, anonymus et ipse, facta collatione, conspirat cum edito Jarchii. Incertus etiam auctor comm. in Pirkè avòth, in preces et constitutiones rituales, nisi quod in indice praemisso eorum quae ad marg. addita sunt, comm. in preces et constitutiones petitus dicatur ex Kruvàtz, de quo Wolfius T. II p. 1421, de precibus quidem agens sic dictis, sed de earum comm. silens. Nihil etiam habet de R. Sam. fil. Eliae Coèn, amanuensis nostri patre, cujus extat introductio quaedam in kadìsc et beracòth. Ad calcem: » Explicit Seder seu ordo diei IX av ».

Cod. 406

Machazòr *germ.* cum *Cantico cant.*, biblicis *Sect.* ac *Psal.* occurr., membr. german. fol. 2 voll. sub fin. sec. XIII vel init. XIV.

Eleganter scriptus, in quo crebrae initiales majores occurrunt, aliquando ornatae. Canticum cantic. in I vol. extans punctis destituitur. Primo folio inter varias notas una conspicitur acquisiti codicis an. 237, Chr. 1477, binae vero aliae ad calc. venditi an. 243 et 263, Chr. 1483 et 1503.

Cod. 407

Machazòr seu *Preces encaeniorum, festi sortium,* vel Estheris, *paschatis* et *pentecostis, ritus polonici* cum *Cantico cant., Ruth,* variisque *Sect. Pent.* ac *Proph.* memb. germ. fol. init. sec. XIV.

In nonnullas sectiones extat etiam Targum, in fronte vero Cantici canticorum ac Ruth ornatus exhibetur, qui integram horum librorum masoram complectitur ingeniose dispositam. Plures alii tituli precum occurrunt, initiales-

que litterae vario colore eleganter depictae, ac multa rubro potissimum charactere exarata. Unicus Cant. iI 4, in eoque singularis, quod in ordine ipso precum multas exhibeat formulas rarissimas et antichristianas, obducto quidem atramento deletas, ita tamen ut plerumque legi queant, quas frustra in editis mss.que aliis plerisque codicibus requiras. Sic sub Jotzer diei vII paschatis fusa ea legitur oratio adversus edomaeos, vel christianos, quam ex codice Norimbergensi cum Pyrbaumensi collato profert Wulferus in *Animadv. ad Theriacam judaicam* p. 347. Verba deleta incipiunt ובארום כמעט » At in edomitarum regionibus parum abfuit quin perierimus », et desinunt » Dominus rex noster salvet nos, sicut fecit Aegyptiis, faciat inimicis nostris, turcis et edomaeis, omnibusque hostibus nostris ». Tres aliae occurrunt, binae in Jotzer parasc zacòr, brevior altera, altera fusior, quae tres paginas occupat, et tertia in Jotzèr sabbati magni a Wulfero omissae. Scriptus est codex ab Isaaco quodam, cujus nomen ubi occurrit, punctis designatur.

Cod. 408

Pentateuchus cum *Aphtaròth* seu *Sect. proph.*, memb. hisp. 4.° a col. sec. xiiI vel init. xiv.

Incip. Gen. xviiI 18, deficitque in Deut. ac sub fin. Aphtaròth.

Cod. 409

Jeremias et Ezechiel, memb. germ. 4.° min. sec. xiiI.

In nonnullis plagulis adjecta masora parva, ad calcem vero legitur nota haec antiqui possessoris: » Ego Marà fil. Joseph fel. m. acquisivi hunc librum Jeremiae et Ezech. a r. Issachar fil. Mosis... Acquisivi autem illum Venetiis die iiI sivan an. 176 min. supp. », Ch. 1416. Sic verisimilius per koph lecta nunc prima anni littera, quam antea per he legeram, unde annus 5076 oriebatur. Unicus Jerem. xxxiiI 26, Ezech. xvI 30, xvI 33.

Cod. 410

Pentateuchus cum *utraque Masora*, memb. hisp. 4.° a col. sec. xv.

Prima tamen sex folia, atque alterum sub init. Num. seriori manu suppleta sunt charactere germ.. Accuratissime scriptus, ac pretiosus ob varias, quas ad marg. servat, antiquorum codicum lectiones, praecipue Hilleliani, Sanbuki, Babylonici. Praeter summam versuum exhibet in fine etiam summam litterarum totius Pent.

Cod. 411

Prophetae posteriores, seu *Isaias, Jeremias, Ezechiel, XII Minores*, membr. hisp. 4.° 2 col. an. 1469.

Pulcher codex, olim Kenn. 414, ad cujus calcem legitur: » Ego Sason filius Josephi fil. Job scripsi hos prophetas posteriores, absolvique illos hic Ulyssipone in. mensis tebeth die XI mensis in gratiam R. Isaaci fil. R. Jeh. Thibova an. m. 5230 ». Unicus Isai. XVI 9 in lectione, quam prima masorethica Chaiimi editio an. 1525, aliaeque post eam sexcentae secutae sunt. Item unicus in *Scholiis crit.* Ezech. XVI 15, Oseae VIII 9.

Cod. 412

Pentateuchus, *Aphtaroth, Psalmi, Job, Proverbia* et *V Meghilloth*, membr. rabb. 4.° maj. sec. XIV.

Pergrandes initiales librorum litterae, ac germ. formae, litterae coronulis ornantur, pe contortum, monita critica, ostendunt fuisse tikkùn sopherìm. Singulare est, quod ad calcem cujuslibet sect. Pent. notatur versuum summa, psalmi numerantur 149, et ad calcem nota quaedam extabat sive conscripti, sive venditi libri, usu nunc adeo detrita, ut sola supersint vestigia librorum, et cujusdam Menachemi, et ut videtur, an. 156. Fere unicus Psal. CXIX 137.

Cod. 413

Biblia cum *utraque Masora*, memb. hisp. 4.° min. 2 col. et 2 voll. an. 1468.

Pretiosissimus summique pretii codex ex celeberrimo Hilleliano descriptus, ejusque apographum ac typus, olim Kenn. 410. Initiales minores, poetici libri metrice distributi, masora ingeniose disposita, Paral. in fronte Agiographorum. Sub fin. codicis: » Hi XXIV libri sunt ex codice Hilleliano. Ego Beniamin fil. R David Gabai scriba hos XXIV libros descripsi absolvique an. 5228 init. mensis adàr primi ». Illud porro singularissimum est notatuque dignum, quod quamvis hisp. sit et Hillelianus, insignes interdum discrepantias et rarioris commatis praesefert in edita nostra collatione diligenter notatas. Inter has unicae, ut Psal. XII 9, XLV 9, II Paral. XXXII 19, fere unicae, ut II Paral. XXXV 4, rarissimae, ut I Paral. I 36, II 7, IV 31, II Par. XXXIII 18.

Cod. 414

Pentateuchus cum *Agiographis*, idest *Psalmis, Prov., Job, Daniele, Esdra, Nehemia, Ruth, Cantico, Threnis, Esther, Ecclesiaste, Ma-*

sora utraque, Vol. Antiochi hebr. et chald., memb. hisp. in 4. min. 2 col. 2 voll. sec. XIII exeuntis.

Sic singulari eo ordine a germ. paullulum diverso procedunt Agiographa. Ornatu varii coloris nobilitantur exordia librorum, initiales minores, libri poetici in hemistichia saepe divisi, Antiochi Vol. chald. primum in textu primaeva librarii manu extat, deinde vero hebr. ad marg. a manu posteriori et char. rabb. Codex unicus Job x 15, ac perrarus Esdr. III 9.

COD. 415

1.° AVERROIS *Liber de intellectu materiali* cum *Comm.* R. Mosis fil. Josuae Narbon..

2.° ABUBECHER BEN ALTAPHIL Andalusiani *Epistola de conjunctione*, seu *Liber* Chivan ben Joktàn *cum Comm.* ej. Narbonensis, chart. rabb. in 4. minori sec. XV.

Primum opus extat etiam in Leidensi, teste *Catal.* p. 283, et ex praef. posterioris libri appellatur quoque tractatus de possibilitate conjunctionis, sub quo titulo fuit olim teste Wolfio T. III p. 15 in bibl. Mosis Raphaelis de Aguilar, ac reperitur etiamnum in Bodlejana. V. Uri *Catal.* p. 74. Emendandus ergo titulus ad eodem Wolfio prolatus *Epistolae de conjunctione cum Deo*, quo noster hic Averrois liber cum seq. Abubecheris confunditur. Ad calcem haec leguntur Narbonensis verba: » Finem autem imposui comm hujus egregii tractatus anno 104 sexti millenarii mense tamuz die ejus VII in urbe Perpiniani ». In praef. Mosis Narbonensis secundo libro praefixa is dicitur primum אגרת הדבקות *Epistola de conjunctione*, tum *Liber chivan ben Joktàn, qui vocatur Jechiel ben ariel*. Primum illud nomen est nomen solitarii, de quo disseritur, liberque ipse in *Catal. bibl. Bodlejanae* inscribitur *De regimine solitarii*, quia primum epistolae argumentum est reapse הנהגת המתיחד *regimen solitarii*, ut notat ipsa praefatio. At in novo Uri *Catalogo* Bodl. vocatur ille Chai ben Joktan, posteriorque titulus de regimine solitarii a Narbonensi ipso illi tribuitur. Nec diversus est liber *De vita eremitae*, quem nostrum Abubecrum scripsisse et ms. cum anon. comm. servari in bibl. Vindobonensi monet Bartoloccius. De celebri hoc libro in varias linguas translato plura Wolfius T. I p. 13, et III p. 9. Sed plura iterum in eo emendanda vel supplenda. Primus libri titulus omittitur, aliter T. I p. 365 et iterum p. 825 ex Bartoloccio nomen effert

חיזאן *Chizan* per zain, perperam Sabtaeum arguit T. I p. 14, qui recte animadverterat eum vocari Jechiel ben Uriel, complectitur quidem opus שני ענינים *duo argumenta,* sed in octo partes dividitur, non in duas, nec est posterior pars, sed octava, quae VIII capitibus constat, liber est Abubecris, non cum ejus comm., sed Narbonensis, auctor constantissime appellatur in nostro codice Abubecher, nunquam Jaafar, Altaphil, non Tophail, Andalusianus, non hispanus. Quaedam tamen ex his quae notamus, ad solam exemplarium varietatem sunt referenda. Ex nostro tandem codice confirmatur, quod Wolfius ipse conjecerat, varia Mosis Narbonensis nomina sub diversis numeris ab eo relata eundem auctorem, non diversum, innuere, qui plenius hic scribitur Moses fil. Josuae fil. Meir fil. Davidis Narbonensis.

Cod. 416

R. Isaaci de Korbeil *Liber praeceptorum parvus,* memb. rabb. fol. min. an. 1423.

Sub init. mutilus. Seorsim a textu, sed intra pag. minori charactere proponuntur consuetae Rothenburgensis correctiones. Sequitur oratio Manassis char. quadrato cum punctis, index praeceptorum haecque epigraphe: » Ecce scriba qui descripsit librum hunc parvum praeceptorum, eum absolvit feria V sect. vajar an. 183 minoris aerae, scripsitque illum in gratiam R. Mosis fil. Oseae de Jaghel ». Manassis oratio memoratur quidem in II Paral. libro, sed quae hodie in latinis graecisque codicibus reperitur, ea ab ecclesia ut apocrypha rejecta est. Hebraice eam unquam extitisse non credit Wolfius T. II p. 208, licet Walthero visum sit hebr. phrasim redolere. Hebraice jam extare nunc primum ex nostro codice discimus, ubi servatur, et quidem cum marg. nonnullis variis lectionibus, quae ostendunt ad alia exemplaria fuisse collatam. Tantum vero abest, ut autographa sit, ut nec videatur remotissimam sapere antiquitatem.

Cod. 417

1.° R. Saadiae *Liber emunòth,* seu *de articulis religionis.*

2.° Anon. *Dissertatio cabbal. de litteris nominis tetragrammati.*

3.° Anon. *Comm. in selecta loca* Nachmanidis *in Pent.*

4.° R. Sabtai fil. Abr. Rophè *Liber Jetzirà,* dictus etiam *Tachachmoni* et *Tzafnàd paaneach,* chart. rabb. 4.° an. 1433.

Idem primi operis titulus et aera, quae leguntur in cod. 83, ad quem conferantur fusius dicta. Post epigr., quae respicit tempus compositi et versi libri, haec alia sequitur librarii: » Ego scriba Josue fil. R. Sam. fel. m. descripsi hunc librum dictum Emunòth et dehòth pro meipso, absolvique hic Sistron feria V die XX mensis adar II an. 193 min. supp. ». Qui selecta Nachmanidis loca commentatur, dicitur ad calcem discipulus Arisbae. De postremo inedito et ignoto Sabtaei Rophè opere vide quae supra notavimus ad cod. 399. Bina tandem folia quae sub init. ac fin. codicis simul compacta sunt, ut ejus custodes, fragmentum continent Kimchiani Lexici et radices litterae ain.

Cod. 418

1.° Anonymi *Notae* vel *Scholia in Pentateuchum* et *V Meghillòth*.

2.° R. Chaiim Algazì *Nedivòth mispàt, Semitae judicii*, chart. rabbin. in 4.° seculi XV.

Ex notis illis multae gematricae et de Messia. Secundi libri titulus monet illustrari partem II libri Jerucham, quod in Wolfio supplendum, qui de eo agit T. I p. 367 et III p. 251. Is CPoli editus.

Cod. 419

Pentateuchus cum *Targum alternis versibus* et *Aphtaròth*, memb. germ. in fol. max. 2 col. et 2 voll. sec. XIII.

Incipit Gen. XVII 21. Grandioribus litteris exaratus et quidem negligentissime, sed insignibus ac raris variationibus refertus, quarum plures in edita clavi indicavimus singulares et unicas. Iis addantur Num. XXIII 19, XXIV 6, Deut. XXXIII 19, II Reg. IV 25. Fere unicus est II Reg. V 8, Jer. VIII 23, Malach. I 7. Ex coronulis quibus insigniuntur litterae contortoque pe videtur, etsi inemendatus, in tikkùn sopherìm assumptus.

Cod. 420

Machazòr *ital. cum Ruth, Cantico cant., Threnis, Eccle., Sect. bibl.* ac *Psal.* occurr., *Targum in var. sectiones, Pirkè avòth cum Comm.* Maimonidis, *Perek* R. Meir *cum Comm.* Jarchì ac multis *Constitutionibus ritualibus*, memb. rabb. fol. min. sec. XV.

Elegans codex qui exhibet librorum ac sectionum initia vario colore, saepe etiam auro, ornata. Praeter Techina et Selicòth R. Biniamini, Jeh. Levitae carmina varia, Azaròth Gavirol et Eliae, Vidui Saadiae, Rescud Joabi de synagoga, Gheulà Aben Ezrae,

habet in festo pentecostis Resecud recitari solitum in urbe Recanati a diebus R. Menachem, aliudque ad calc. R. Eliezer de Volterra, quem composuit in grat. Galantinae Morosinae, in cujus laudem carmen subjicitur R. Raphaelis de Faventia. Habet et sub Jotzer diei IX av precem de Edom seu christianis, in mss. rarissimam, in editionibus omissam, etiam in primariis ac plenioribus, ut sunt Soncinenses, Pisaurenses ac Bononiensis. Communior alia alenu intacta.

COD. 421

R. JEHUDAE COÈN filii Sal. Toletani *Medras chochmà, Inquisitio sapientiae*.

PARTE I continentur

1.° *Comp.* et *expositio libri* Aristotelis *de natura et speciebus animalium*.

2.° *Comp.* et *expositio libri* ej. Aristotelis *de anima*.

3.° *Compendium* et *expositio libri* ej. Aristotelis *de sensu et sensibili*.

4.° *Comp.* et *expositio libri* ej. Aristotelis *de divina sapientia*, vel *metaphysicorum*.

5.° *Expositio versuum difficiliorum in Genesi, Psalmis* ac *Proverbiis*.

Parte II comprehenduntur

1.° EUCLIDIS *Elementorum regulae*.

2.° AUCTORIS *Responsum ad* imperatoris Frederici *quaestionem quomodo fiat*, vel *describatur unaquaeque figura propositi circuli*, et *iteratae* ejusdem Frederici ad auctorem et auctoris ad eum *Epistolae*.

3.° PTOLOMAEI *Almagesti liber primus*, seu *Dissertationes variae ex eo decerptae*.

4.° *Miclàl jophi*, seu *Excerptum libri astronomici* sapientis philos. Albatroghi.

5.° AUCTORIS *Prologus de proprietatibus*, vel *dotibus stellarum*.

6.° *Summa libri IV sermonum* seu *Tetrabibli* Ptolomaei *de siderum proprietatibus*.

7.° *Commentarius in tractatum de litteris*, bomb. rabb. ineditus in 4.° sec. XIV.

De auctore ac libro Wolfius T. I p. 437 et III p. 321. Differunt tamen codices et contenta opuscula, minus accurate alia exposita, ut ex comparatione patet. Mutilus est hic meus codex sub init. ac finem, sed in proloquio de proprietatibus siderum aperte proditur auctor. » Dicit auctor Jehudà Coèn filius Sal. Coen hispanus de urbe Toleti ». Sub init. responsi ad imperatorem Fredericum narrat se ejus quaestionem accepisse in patria sua in Hispania, respondisse quum esset aetatis XVIII annorum, deinde vero e Toleto, ubi natus fuerat, in Etruriam migrasse, ubi ex lingua arabi-

ca librum suum in heb. convertit. Exordiens summam libri Albatroghii monet virum hunc valde sapientem fuisse, ejusque aetatem 30 circiter annis distare ab aetate sua, videlicet ab anno 5007 a creatione. Constat itaque auctoris nostri aetatem, de qua profunde silet Wolfius, in annum Ch. 1247 esse amandandam. Non minus silet Wolfius de Albatroghio ejusque libro, quem suspicari posset quis esse insignem mathematicum et astronomum Sabium Albatani, vel Albategnium, cujus accuratissimae extant observationes astron., nisi aetas dissideret. Floruit enim hic anno 300 hegirae, Ch. 912, teste Herbelotio *Bibliotheque orient.* p. 193. Versionem auctoris nostri Tetrabibli Ptolomaei, sive potius ejus summam, memorat Wolfius T. III p. 920 inter Ptolomaei opera, eamque servari asserit in Colbertina n.° 6425, arabice vero in Medicea. Ex judaeis breviter quidem, sed sat accurate codicis contenta delineat Sabtaeus in *Siftè jescenìm* p. 39, et ex eo Jechiel in *Seder adoroth* fol. 170 b. Aliud hujus ejusdem operis exemplar habes infra in cod. 771 cum integra auctoris praef. et epigraphe, sed nonnisi primam complectens partem, saepeque dissidens.

COD. 422

R. MOSIS MAIMONIDIS *Jad chazachà liber IV, V et VI partis II*, seu *Constitutiones de mulieribus, de sanctitate, de separatione*, membr. rabb. in 4.° anni 1266.

Ad calcem libri V: » Absolutus est hic liber die II mensis tamuz anni 5026 a creatione mundi, descripsitque eum Isaias fil. R. Mosis. Scriptus est autem in urbe Salerni ». Liber IV mutilus.

COD. 423

1.° ARISTOTELIS *De signis caelestibus*, seu *meteoris* ex heb. versione R. Sam. aben Tibbòn, et cum ejus *Comm.*

2.° AVERROIS *Summa libri* Aristotelis *de anima*.

3.° Ej. AVERROIS *Comp. libri de sensu et sensibili* heb. versus a Mose Tibbonide.

4.° ARISTOTELIS *Liber de somno et vigilia* hebr. versus a R. Sal. fil. Mosis de Leguieri.

5.° R. ISAACI ISRAELITAE fil. Sal. *Liber fundamentorum* hebr. versus a R. Abr. fil. Samuelis levitae ben Chasdai.

6.° ANON. *Marè makom*, seu *Summa capitum* et *index locorum sacr. scripturae quae afferuntur in* Maimonidis *Morè nevochìm*, chart. rabb. in 4.° sec. XIV.

Horum librorum primus operarum vitio a Wolfio T. I p. 220 dicitur versus a R. Sa.

lom. ben Tibbòn, nec accurate p. 1098 ei hunc tractatum tribuit ex Aristotelis operibus compilatum. Etenim et titulus et verba librum Aristotelis esse evincunt, cui Tibbonidis nostri commentarius qualibet sectione subjicitur, praeposito ubique nomine ut a textu distinguatur, *Dicit Samuel ben Tibbòn*. Ad calcem hujus libri: » Absoluta est versio dissertationis, vel sectionis IV libri de meteoris philosophi Aristotelis, perfectaque est eodem tempore versio totius libri feria II quae est XII mensis tamuz anni 909 a creatione super mare, quum venirem ex Alexandria Aegypti ».

Ad calcem III libri de sensu et sensibili haec leguntur: » Absolutus est liber de sensu et sensibili qui est compendium Averrois, vertitque eum ex lingua arabica in heb. sapiens philosoph. R. Samuel fil. R. Jeh. Granatensis hispanus ben Tibbòn anno 5014 ab O. C. mense tamuz ». Haec eadem leguntur in binis aliis hujus libri codicibus 208 et 776, et quidem emendatius substituto nomine hic omisso R. Mosis fil. Samuelis, cujus est interpretatio. In titulo vel praef. IV libri legitur Salomon fil. Mosis מלגוירי *de Legujeri*, non אלגוואר *Alguari*, ut habet Bartoloccius. Tandem poema libro V praefixum docet eum R. Isaacum composuisse, ex arabico vero hebr. transtulisse R. Abr. ben Chasdai, cujus etiam extat praefatio.

Cod. 424

1.° R. Josephi Scem Tov *Comm.* in *Ethicam* Aristotelis.

2.° Platonis *Liber de regimine*, vel *de republica*.

3.° Avicennae *Liber de caelo et mundo*.

4.° Aristotelis *Epistola moralis* hebr. versa a R. Jeh. ben Charizi.

5.° Aristotelis *Epistola ad Alexandrum*.

6.° Alexandri Macedonis *Musarè*, seu *Sententiae morales*.

7.° Platonis *Musarè*, seu *Sententiae*.

8.° Chanania ben Jsaac *Kibbutzè*, seu *Academiae philosophorum collectae*.

9.° Socratis *Musarè*, seu *Moralia dicta*.

10.° Aristotelis *Apophtegmata*.

11.° Aristotelis *Liber de pomo* ex heb. versione R. Abr. fil. Chasdai.

12.° *Divrè chachamìm*, seu *Verba sapientum*.

13.° R. Scem Tov fil. Palkirae *Liber mahalòth*, bomb. rabb. 4.° sec. XIV.

Deest initium I libri, sed ex argumento, verbisque *dicit Joseph*, quae occurrunt sub fin. VI sectionis, conjicis

esse comm. R. Josephi fil. Scem Tov libri Midoth, seu Ethicae Aristotelis, quem Bartoloccius, Sabtaeus, Wolfius illi tribuunt, ac ms. reperitur in aliis bibliothecis. Constat novem maamarìm, seu tractatibus, quorum expositio dicitur ad calcem absoluta *anno 572 aerae ismaeliticae*, seu hegirae. De auctore alteroque ejus opere, inedito et ignoto, supra egimus ad cod. 177. Platonis libri de republica hebraice extant etiam in Vaticana ac Medicea. Aristotelis Ighèred musàr, seu *morali epistolae*, hic praefigitur titulus: » Hanc epistolam composuit Aristoteles, vertitque eam ex lingua graeca in arabicam sapiens quidam ismaelitarum nomine Alì, ego vero verti illam ex arabica in linguam sanctam. Dicit Jehuda ben Charizi ». Falsi ergo arguitur quod notat Sabtaeus dubiumque relinquit Wolfius T. I p. 221 ex graeco eam arabice Salomonem Charizium, ex arabico vero hebraice Jehudam ejus filium transtulisse. Epistola ad Alexandrum, et quae sequuntur morales Alexandri, Platonis, Socratis, Aristotelis sententiae, item academiae seu collectanea philosophorum, quae in codice totidem separatos libellos efficiunt, collecta et recusa omnia reperiuntur in libro musarè philosophim edito Ripae Tridenti anno 1562 ubi et Aristotelis liber de pomo comparet. Insignes tamen variationes ab edito in nostro codice occurrunt. In perbrevi praef. libri de pomo testatur interpres R. Abr. ben Chasdai se illum ex arabico in hebr. idioma vertisse. Quod non modo mss. codices legunt, sed et binae editiones quae ad manus sunt, commemorata Ripae Tridenti ac Veneta antiquior an. 1519, summa consensione damnantes quod notat Bartoloccius, librum hunc ad Abr. nostro fuisse primitus arabice conscriptum. Ac noster quidem codex reliquis clarius, legens in I persona *ideoque verti librum hunc*, non in tertia *versus est*, ut oratione minus sane cohaerente habet utraque illa editio. Notandus etiam codicis titulus: » Liber de pomo Aristotelis et quod responderunt ei discipuli ejus », Aristotelis nomen addens et quae sequuntur, in utraque editione omissa, novoque refutans argumento Jachiae aliorumque opinionem, qui censent falso Aristoteli attribui. Veneta tamen editio si Aristotelis nomen omittit in titulo, illud exprimit in fine. Quod non dubito, quin Wolfius, qui de hoc libro ejusque argumento agit T. I p. 57, contra illum au-

ctorem animadvertisset, si eam editionem habuisset prae manibus.

Libro Mahalòth fusa praemittitur praefatio, in qua paullo ante finem hoc operis sui institutum aperte pandit Scem Tov, de variis hominum gradibus, prerogativis, excellentiis, moralibus virtutibus 'agere, ac sapientum de iis opiniones exponere. » Dicit auctor, jam meditatus sum in Ighèred vicùach (altero ejus opere) librum componere de eo quod dixerunt vel senserunt sapientes de gradibus hominum, quia cognitio haec necessaria est ei qui sapientiam exquirit, ut sapientibus adhaereat, arceatque se ab iis, qui illis opponuntur ». Porro sapientes gradus illos in tres distinxisse classes asserit, videlicet gradum prophetarum, gradum sapientum qui vera sectantur, seu philosophorum, et gradum plebis, quibus et quartum ipse addit prioribus illis non comprehensum, ac propterea appellare se librum hunc graduum, in quo et sibi proponit animum lectoris excitare e somno torporis, et ad studii supremique gradus qui sapientiae est, assequutionem erigere. Subdit autem se tum doctorum suorum verbis inniti, tum philosophorum ac sapientum exterarum nationum, notans contra eos qui aliter sentiunt ac philosophiam contemnunt, veritatem ab omnibus esse acceptandam, hicque fusum illud habet et egregium in philosophiae laudem testimonium, quod ex hoc libro profert Buxtorfius filius in notis ad *Cosrì* p. 32, in nostri codicis textu paullo brevius paulloque diversum. Hoc est auctoris consilium, quod cum eo congruit, quod in indice mss. codicum Pici Mirandulani a Wolfio recuso T. I p. 24 Jacobus Gaffarellus suppeditat, non hebraeorum sapientiam cum gentilium philosophorum scriptis conferre, ut minus accurate ex eo colligit Wolfius T. I p. 1125. Qui et gravius adhuc de auctoris nostri aetate errat, quem in I vol. anno 1509, in III an. 1409, constituit floruisse, quum ex certa alterius nostri codicis floruerit is anno 1280. Conferantur dicta ad cod. 142. Primum illum, qui turpior est, Wolfii errorem et annum, inobservato altero, in *Bibl. sua hisp. rabb.* fol. 373, quod miror, sequitur Rodriguez de Castro, eumque novo typographico mendo adauget, judaico anno 5269 christianum substituens 1609.

Cod. 425

Gheonaeorum *Quaesita et responsa*, chart. rabbin. 4.° sec. XV.

Videlicet Simson fil. Abr., Isaaci fil. Abr., Isaaci fil. Samuelis, Gersom, et aliorum, pleraque Meir fil. Baruch, quae omnia vel fere omnia edita puto in quaesitis hujus postremi Pragae excusis anno 1608.

COD. 426

R. SALOM. BEN ADERED *Quaesita et responsa*, memb. chart. rabb. 4. sub fin. sec. XIV.

Sunt numero 460, eaque partim inedita esse tum in titulo, tum ad calc. monet anon. judaeus codicis possessor. Sed priora 79 in ms. deficiunt.

COD. 427

1.° TRACTATUS TALM. *Bavà kamà, Porta prima.*

2.° TRACT. *Meghillà* seu *de Volumine Esther.*

3.° ANONYMI *bini Derascìm* seu *Sermones*, chart. rabbin. 4.° sec. XV.

COD. 428

R. JOSEPH LORKI *Commentarius in Canonem* Avicennae, chart. rabb. in 4. an. 1408.

Sub finem haec leguntur: » Scripsi hunc comm. in primum sapientis Avicennae librum, quem composuit R. Joseph Lorki fel. mem., absolvique illum hic Cretae die 11 primi mensis adar anni 168. Joseph fil. R. Abr. Ferer fel. mem. » Ex his suppleantur ac corrigantur quae habet Wolfius T. I p. 544. Antiquior enim ille medicus anonymus est Avicenna, nec confusus est a Bartoloccio Joseph Lorkius cum Josua.

COD. 429

ORDO PRECUM *totius anni* cum *Psal.* occ., memb. rabb. 16. sec. XV.

COD. 430

ORDO PRECUM, membr. rabb. mutilus in 16. sec. XV.

COD. 431

R. JEHUDAE AKKADOSC *Miscnà* cum *Comm.* R. Obadiae Bartenorae, chart. rabb. in 4.° 3 voll. in. sec. XVI.

Notissimus saepeque cum textu ipso miscnico editus Bartenorae commentarius et in Surenhusii editione latine translatus.

COD. 432

1.° AVERROIS *Expositio isagogis* Porphyrii *ad logicam* ex hebr. versione R. Jacobi Antoli.

2.° Ejusd. *Expositio libri* Aristotelis *de categoriis* ex versione ej. Antoli.

3.° Ej. *Expositio libri* Aristotelis *de interpretatione* ex versione Antoli.

4.° Ej. *Expositio libri* Aristotelis *de syllogismo*, seu *I analiticorum* ab eod. Antoli.

5.° Ej. *Expositio libri* Aristotelis *de demonstratione*, seu *analiticorum II* ex versione Antoli, chart. laevig. rabb. in 4.° min. anni 1490.

Introductio illa in logicam, quam illustrat Averroes, Porphyrii est, ut ex praef. ipsa patet codicum qui eam suppeditant, non Aristotelis, ut ex Bartoloccio tradit Wolfius T. I p. 18, verbaque codicis Bodlejani vertenda sunt *Liber isagogicus in logicam Porphyrii*, non ad *Porphyrium*, ut vertit T. III p. 12. Hebr. porro versionem a R. Jacobo Antoli esse repetendam praefatio ipsa hujus interpretis nos edocet libro praefixa. Ceterorum librorum nullus in codice exprimitur interpres; sed ex cod. altero 771, cum quo singulorum translatio congruit, etsi in hoc nostro Averrois expositio sit brevior, certissime colligitur esse eundem Antoli. Ad calcem haec leguntur: » Fuitque finis cod. hujus, qui continet libros introductionis, categoriarum, de interpretatione, de syllogismo et de demonstratione feria IV die IV mensis adar secundi an. vox רנ״ה cantus et salvationis in tabernaculis justorum. He denotat quinque millenaria. Descripsi ego in Albalath del arçobispo, ego Samuel fil. Isaac minimus sociorum ». Sic ex vestigiis eruo nomen scribae, cui atramentum superinductum. Descriptus ergo codex an. 5250 ab orbe condito.

Cod. 433

R. Jedajae Penninì seu Badrescitae *Bechinàd olàm*, *Examen mundi*, chart. rabb. in 16. an. 1504.

Extant ad calcem carmina quaedam Mosis scribae in operis descripti laudem, quae init. litteris produnt ejus nomen. Dein subjicitur epigraphe: » Finitum opus hic in Villa Pintal per manum minimi Mosis ... hodie feria VI die VII mensis nisan an. 264 ».

Cod. 434

Meghillà seu *Volumen Esther*, membr. germ. lin. 13, sec. ineuntis XV.

Prima membrana recentiori manu suppleta, orationisque post recitandae clausula abrasa.

Cod. 435

Siddur seu *Ordo precum totius anni* cum *Cantico Exodi* ac *Psal.* occurr., memb. rabb. 32. sec. XIII.

Ad usum graecorum judaeorum exaratum esse colligitur ex brevi quadam oratione graeca, quae sub codicis dimidium occurrit. Judaeos in Graecia degentes suam olim Pentateuchi versionem habuisse sciebamus,

nunquam peculiarem ac proprium precum ordinem, nec Wolfius aliique qui fuse de precibus variarum nationum commentantur, quidquam de eo produnt. Extremae ergo raritatis habendus codex, qui et indubiae vetustatis exhibet indicia. Quaesivi autem, num in singulari hoc siddùr binae antichristianae precandi formulae diversae essent, nec ne. Prima Bircàd aminim habet primigenium apostatarum vocabulum, sed aberant ex prima manu verba de regno superbo cito eradicando, quae serius, ut varia aliorum codicum lectio, ad marg. suppleta sunt. Altera Alènu bis occurrit, utrobique cum consueto additamento. Interdum etiam a communibus discrepant aliae preces, variaeque earum lectiones ad marg. adnotantur.

Cod. 436

Estheris Meghillà seu *Volumen*, membr. ital. lin. 22 sec. elapsi.

Ornatibus varii generis ac coloris, inter quos et Estheris historia conspicitur, condecoratum.

Cod. 437

Abu Achmet Algazalì *Liber de opinionibus philosophorum* heb. versus a R. Jehuda fil. Sal. Nathan cum *Comm.* Mosis Narbonensis, chart. rabb. in 4.° sub fin. sec. XIV.

Est ex versione Jeh. fil. Sal. Nathan, cujus praefatio hic occurrit ante metaphysicam, seu II operis partem, in cod. vero 515 aperte integro operi praefigitur. Conf. dicta ad cod. 143, ex quo constat comm. anonymum, qui hic exhibetur, esse Mosis fil. Josuae Narbonensis, quamvis in nostro hoc codice saepe et summopere differat.

Cod. 438

1.° Anonymi *Lib. isagogis.*

2.° Averrois *Expositio isagogis* Porphyrii hebr. versa a R. Jacob Antoli.

3.° Maimonidis *XIII Articuli fidei.*

4.° Ej. *Epistola de resurrectione mortuorum* hebr. versa a R. Sam. aben Tibbòn.

5.° Aristotelis *Epist. moralis* ex arab. versione Ali ismaelitae hebr. translata a R. Jehudà fil. Sal. fil. Charizi.

6.° Maimonidis *Comm. in Pirkè avòth* cum *praef.* Sam. Tibbonidis.

7.° R. Samuelis Tibbonidis fil. Jehudae *Expositio vocum peregrinarum libri Morè nevochim*, chart. rabb. in 4.° an. 1463.

Auctorem I opusculi judaeum esse colligo ex contextu ipso et ex iis quae fundamenti loco de Mosis lege credenda constituit. Maimoni-

dis dissertatio de resurrectione mortuorum illud singulare in hoc nostro cod. exhibet, quod prodat ad calcem annum compositionis: *Absolutus est hic tractatus, opitulante Deo excelso, an.* אתקי״ב *1512 aerae contractuum*, videlicet anno Chr. 1200. Morali epistolae Aristotelis, seu Ali ismaelitae, ut fert codicis titulus, haec praefigit interpres, quae conveniunt cum titulo cod. 424: » Dicit Jehudà fil. R. Sal. fil. Charizi. Exquisierunt a me sapientes et docti, ut eis verterem epistolam moralem, quam composuit eximius philosophus Aristoteles, ex graeco vero in arab. transtulit sapiens ismaelita, nomine Ali ». Sub fin. נשלם אגרת החסידים *Explicit epistola piorum*. Ad calc. vero Comm. Maimonidis in Pirkè avòth haec reperiuntur: » Finita est translatio comm. hujus tractatus ex lingua arab. in sanctam mense tebeth an. 963 (Chr. 1202), quem vertit in arce Lunel sapiens philosophus, eruditus in omni scientia, R. Samuel fil. sapientis magni R. Jeh. aben Tibbòn fel. m. Granatensis hispanus ». Postremo codicis folio legitur: » Haec est aera a creatione mundi usque ad diem hanc an. 223 min. supp. vI millenarii . . . et a destructione iI templi usque ad diem hanc 1395 ». Incidit ergo codicis descriptio in annum nostrum 1463. Nota a nostro codice damnari id quod de Aristotelis epistola morali scribit recens auctor *Sedèr adoròth*, arabice versam fuisse a Sal. ben Charizi, hebraice vero a Jehuda ejus filio.

COD. 439

ESTHERIS *Volumen*, memb. germ. lin. 16 sec. xv.

COD. 440

BIBLIA cum *Masora*, memb. germ. in fol. max. 2 voll. ac 3 col. sec. xiiI.

Incipit Exod. iiI 15, ex agiographis vero solae extant v Meghillòth, Daniel, Esdras, Nehemias, qui explicit cap. viI 21. Initialia librorum vel sectionum verba aurea varioque exornata colore, masora florum instar et animalium disposita, Jeremias posteriorum prophetarum primus. Ad calc. Ezech. et Malachiae legitur nomen scribae Josephi. Singularis in re critica emolumenti exemplar istud esse fidem faciunt insignes ac copiosae ejus variae lectiones. Habet etiam in earum numero rarissimas et unicas. Unicus sane est Exod. v 3, viI 28, Jud. xviI 7, I Sam. iI 24, iI Sam. xxiI 17, iI Reg. xxiv 4, Isai xvI 4, xviI 5, lxiv 6, Jerem. xxv 12, Ezech.

xxiiI 9, Amos viiI 2, Zach. xI 4, Dan. iI 4, Esd. viiI 5, fere unicus I Sam. iI 24, I Reg. vII 18, Isai. xlviiI 10, lxvI 15, Jerem. ix 18, xx 16, xxiI 22, Ezech. xvI 31, Dan. viiI 12, rarissimusNum. xxI 13, Isai. xxix 9, xxxviiI 14, xlviiI 12, liiI 9, Jerem. xlix 5, Ezech. xvI 27, xxviI 6, Obad. 20, Nah. viI 19.

Cod. 441

Comp. Machazòr *hisp.* cum *Sect. Pent.* et *Proph.* et *Psal.* occurr., memb. germ. 8.° sec. xiv.

Unus e 2 codicibus qui Ps. xxxiv 6 alphabetico versum incipientem a littera vav qui in hodierna interpunctione deest, restituunt.

Cod. 442

Machazòr *germ. ritus* cum *Sect. Pent.* ac *Proph.* et *Psalmis* occurr., et *Cantico cant.*, *Ruth*, *Ecclesiaste*, membr. germ. in fol. 2 voll. anni 1322.

Sub finem iI vol.: » Ego Senior fil. r. Joel scriba absolvi hunc librum ad usum r. Isaaci fil. r. Chaiim die xxiI marchesvan feria vI an. 83 min. supp. ». Est ex numero paucorum Machazorìm, qui formulam Alènu servant intactam, et in Jotzèr zacòr aperte ac majoribus litteris exhibeant imprecationem in Jesum, » *Immàch scemò vezichrò*, *Deleatur nomen ejus ac memoria ejus* ».

Cod. 443

Pentateuchus cum *v Meghilloth et Aphtaroth*, memb. germ. in 8.° 3 voll. sec. xiiI.

Incipit Gen. v 9. Amasorethicus codex, non diligenter tamen scriptus. Duobus Lev. locis, in quibus unicum esse animadvertimus, adde rarissimas eum lectiones continere Eccle. I 10, et Esther ix 14, ac fere unicum esse in *Scholiis crit.* Zach. xiv 20.

Cod. 444

Pentateuchus cum *v Meghillòth*, memb. germ. in 4.° min. vel 8.° sec. xiv.

Cod. 445

Tractatus Talmud. *Scabbàt* seu *de Sabbato* cum *Comm.*, memb. et chart. rabb. in 4.° sec. xiv, vel init. xv.

Cod. 446

Psalterium cum *Comm.* r. David Kimchì, memb. rabb. 4.° init. sec. xiv.

Unicus Psal. vII 1, fere unicus Psal. v 9, xxxviiI 5. Integer etiam Psal. iI et in aliis loc. antichristianis Kimchii commentarius, quod in rarissimis codicibus fit.

Cod. 447

Agiographa, seu *Psalmi*, *Job*, *Prov.*, *Daniel*, *Esdras*,

Nehemias et *v Meghilloth*, memb. rabb. 4.° sec. xiv.

Incipit Psal. lxxxix 26 et desinit Esther viiI 7. Psalmi metrice dividuntur, et numerantur 149. Rariorem fovet lectionem Eccle. I 17, et Prov. iv 21.

Cod. 448

Estheris Volumen membr. hisp. lin. 14 sec. xvI.

Cod. 449

Quinque Meghillòth, seu *Canticum, Ruth, Ecclesiastes, Threni, Esther*, memb. ital. 8.° sec. xiv vel init. xv.

Sine punctis quoad tres priores libros. Explicit Estheris ix 7.

Cod. 450

Pentateuchus, membr. rabb. in 8.° an. 1370.

Tikkùn sopherìm cum pe contorto, coronis, ac criticis praeceptis, non tamen diligenter scriptum. Librorum tituli minio varioque colore, et in Deut. quidem auro praeterea ornati, nec inelegantes, eo excepto qui Genesim praecedit, vetustate detrito. Ad calcem: » Feria iI hebd. die iiI mensis adar an. 5130 absolvi ego Isaac Baruch fil. r. Samuelis fil. sancti r. Chaiim galli hunc Pent. librum, quem descripsi ex publico legis volumine... Absolvi autem hic Faventiae in termino Romandiolae ». Et infra: » Etiam feria v die xI av an. 141 min. supp. ego Isaac Baruch de gallis.. absolvi punctis instruere hunc Pent. ».

Cod. 451

Anon. *Medràs Ruth* seu *Expositio allegorica libri Ruth*, chart. rabb. 4. min. sec. xvI.

Latet auctor, nec facta collatione cum edito conspirat. Ad inedita ergo opera referendus.

Cod. 452

R. David Kimchì *Comm. in libros Samuelis ac Regum*, memb. rabb. 4.° sec. xiv.

Proditur ad calc. nomen scriptoris: » Benedictus qui dat Eliae filio Josephi virtutem ».

Cod. 453

R. Levi Gersonidis *Commentarius in Pentateuchum*, chart. rabb. in fol. an. 1480.

Librarii nota occurrit sub finem Genesis: » Explicit sectio et vixit Jacob, simulque liber Geneseos, roboretur et confirmetur scriba, hodie feria iI die xx tebeth an. 240 min. supp. absolvi hunc Ralbag ante portam Cremonae in domo, ubi detentus fui per tres integros menses... humilis et pauper scriba corde contritus et confractus Josuas Meir fil. r. Isaaci, quem Deus tueatur,

scriba Cremonensis ». Subdit tamen post haec verba se a Deo Abrahami, Isaaci, Israelis ab eo carcere fuisse eductum. Ita porro legendum 240, ut primo scriptum est, nam recens malae fidei judaeus, ut antiquior appareret codex, ר in ק mutavit, primumque annum in 140, seu 1380. Praeter hanc amanuensis dignae sunt quae notentur, epigraphae auctoris. Etenim comm. in primam sectionem Berescith dicitur in fine ab eo absolutus ad finem vergente mense av an. 88 vI millenarii, Ch. 1328, comm. in integrum Genesis librum die xvII marchesvàn an. 90, in Exodum initio ellul ejusdem anni. Quae epigr. leguntur etiam in cod. 157, et in Conathi edit. antiquissima. Deest integer Deut. liber.

Cod. 454

R. Abr. aben Ezrae *Commentarius in Pentateuchum*, membr. rabb. in fol. 2 col. an. 1400.

Nitidus codex diligenterque scriptus, sub cujus finem haec librarii verba leguntur: » Ego Scem Tov fil. R. Sam. Baruch scripsi hunc comm. R. Abr. aben Ezrae in v libros legis in gratiam R. Joelis fil. Isaaci f. m., finemque ei imposui mense nissan an. 5160 ab O. C. juxta aeram qua utimur hic Bononiae ».

Cod. 455

Pentateuchus cum *Targum* et *Comm.* Jarchì, membr. 4.° sec. xiv.

Germanicis litteris et cum punctis quoad heb. textum ac targ., rabbinicis quoad comm.. Incipit Gen. ix 10. Perraram servat lectionem in *Scholiis crit.* Deut. xxxiI 13.

Cod. 456

1.° R. Mosis Kimchì *Maalàch scevilè adàhad, Progressus semitarum scientiae*.

2.° Anonymi *Commentarius in Esther*.

3.° R. Sal. Jarchì *Comm. in Ruth* et *Canticum*.

4.° R. Josephi Karae *Comm. in Ecclesiastem* sub fin. suppletus ex *Comm.* Rascì.

5.° Ejusdem *Commentarius in Threnos*.

6.° R. Saadiae *Commentarius Danielis*, chart. rabbin. in 4.° sec. xv.

Binos commentar. in Ruth et Canticum Jarchii esse, cum aliqua tamen discrepantia, ex collatione constat; sed prior ille in Esther incerti auctoris est. Qui succedunt Karae in Ecclesiastem et Threnos, tantae raritatis sunt, ut nulla eorum vestigia extent apud christianos hebraeosque bibliographos. Wolfius porro non modo nihil de iis, sed et de auctore ipso habet, quem gravissimo pu-

dendoque anachronismo, ut supra observatum est ad cod. 255, cum R. Joseph Karo confudit quatuor seculis posteriore. De ceteris hujus auctoris commentariis ad postremum hunc perperam a Wolfio relatis conf. quae ad eundem cod. et ad 76 diximus. Qui hic sistitur comm. in Eccle. ineditus est, sed usque ad finem non protrahitur, sive ex auctoris defectu qui reliqua non exposuerit, sive autographi, quod non habuerit. Nam scriba adnotat ubi desinit: » Hucusque reperi ex Comm. R. Joseph Karae, super quem sit pax. Quae sequuntur sunt ex expositione R. Sal. fel. m. » At vero qui sequitur ejusdem Karae comm. in Threnos, in Neap. Agiographis 1487 editum esse ex eorum collatione cum nostro codice eruimus ac monuimus in *Annalibus* nostris *hebraeo typ.* sec. XV p. 53. Ad marg. crebra extant scholia ex Kimchiano Lexico petita, quae vocum significationes illustrant.

Cod. 457

1.° R. Heli Chabilii *Quaesita philosophica*.

2.° R. Scem Tov fil. Scem Tov *Responsa ad eadem Quaesita*.

3.° Ej. Heli Chabilii *Confirmatio argumentorum quae protulerat*.

4.° R. Abr. Bibagi fil. Jom Tov *Epistolae duae* ad Mosem Arondi.

5.° R. Mosis Arondi *Epistolae responsoriae* ad Bibagum.

6.° Anon. *Dissertationes duae philosophicae*.

7.° Vincentii *sapientis christiani Dissertatio philosophica* hebr. versa.

8.° Anon. *Binae aliae Dissertationes logicae*.

9.° Abunasaris Alpharabii *Liber sibbòth* vel *de caussis* hebr. versus a Chabilio.

10.° Okam *Summa lib. logicae* ab eod. Chabilio translata.

11.° Anon. *Dissertatio logica* hebr. versa, chart. rabb. in 4.° an. 1470.

Inedita omnia, pleraque etiam ignota. Nihil Wolfius de Heli Chabilio variisque ejus operibus, nihil de Mose Arondi ejusque epistolis, nihil de Vincentio et Okamo, eorumque scriptis hebraice versis. De Abr. Bibago agit is T. I p. 35 et III p. 23, sed silet de ejus epistolis, verumque illius cognomen est Bibagus vel Bivago, non Bivatz, ut eum appellat Sabtaeus, vel Bivasc, ut Bartoloccius, vel Bilbag, ut Dassovius, vel tandem Bilbao, ut Schoetgenius ac Wolfius suspicantur. Primam illam scriptionem pluries codex hic noster confirmat, nec filius hic Scem Tov, ut tradit Wolfius, dicitur, sed Jom Tov,

ut tradiderat rectissime Bartoloccius. Hoc eodem modo utrumque nomen exprimit cod. Vatic. 350, qui Aristotelis librum demonstrationis sistit ab Averroe expositum, et ab auctore nostro hebr. interpretatum. Certum autem quod de insulsa Morini appellatione Abr. fil. Laduni primo loco conjicit Wolfius illum pro proprio patris nomine honoris epitheton לאדני. *domini mei* accepisse, nam et sic plane legit codicis subscriptio. Porro Vincentius ille christianus in calce dicitur ordinis praedicatorum, Alpharabii autem liber hebraice translatus a R. Heli fil. Josephi Chabilio, ejusque translatio absoluta feria VI die V mensis ellul an. 5230, Ch. 1470, supputato he pro quinque millenariis ob majorem, quae subditur, creationis aeram. Idem annus legitur in epigr. libri Okam ejusdem Chabilii, de cujus quaesitis ac patria vide quae supra notavimus ad cod. 281.

Cod. 458

1.° Averrois *Expositio isagogis* Porphyrii *ad logicam* hebr. versa a R. Jacob Antoli.

2.° Ejusdem *Expositio libri categoriarum* Aristotelis ex hebr. versione ej. Antoli.

3.° Ej. *Expositio libri* Aristot. *de interpretatione* ex vers. Antoli.

4.° Ej. *Expositio libri* Aristot. *de syllogismo* vel *I analit.* ab eod. Antoli.

5.° Maimonidis *Logicae Comp.* heb. versum a R. Mosè ben Tibbòn.

6.° Abunasaris Alpharabii *Liber de scientiis, earumque numero, partibus et praestantia.*

7.° Ej. *Epistola de ordine lectionis*, vel *institutionis in scientiis instituendae*, memb. chart. rabb. in 4.° sec. XV.

Ad marg. I libri quaedam extant scholia, quorum aliqua petita sunt ex R. Mose de Rieti, vel Reatino. Non innuitur posteriorum librorum interpres, sed ex cod. 771, ut alibi animadvertimus, colligitur esse eundem Jacob Antoli*, qui primum illum vertit. In fronte III libri retinetur, quod singulare est, graeca inscriptio באריארמאניאים, περὶ ἑρμηνεία;. Deest initium V libri, quem tamen adhibito studio comperimus esse Maimonidis logicam vel ejus compendium, quod ex arabico hebr. transtulit Moses Tibbonides, sed ex mendoso ac mutilo exemplari, ut docet nostri codicis epigraphe: »Verti autem eum ex lingua arabica in hebr. ex exemplari valde mendoso ac mutilo, ego Moses fil. Tibbon mense chislev an. 5015 », Chr. 1254. Habes etiam hic annum versionis, quem igno-

rabas. De libro ipso ejusque mss. et editionibus Wolfius sub Maimonide, sed silet profundissime de duobus seq. Alpharabii opusculis. Primum continet etiam cod. 776, qui et tempus notat absolutae ejus versionis die XXVII omer an. 74, Chr. 1314. Ex hoc cod. non obscure etiam eruitur Kalonymum fil. Kalonymi fil. Meir fuisse illius interpretem.

COD. 459

R. SAL. JARCHÌ *Commentarius in Pentateuchum* membran. rabb. 4.° sec. XIII.

Primum folium, et alia quaedam ad calcem posteriori manu sec. XIV rescripta. Ceterum vetustus est codex, eximiaeque auctoritatis et usus in restituendo vero Jarchii textu, tum ob insignes discrepantias quas textus ipse continet, tum ob scholia, ac varias al. codicum lectiones, quas margo suppeditat.

COD. 460

R. LEVI GERSONIDIS *Milchamòth ascèm, Bella Domini*, chart. rabb. 4.° sec. XIV.

Extat ad calcem eadem auctoris nota, quam habet cod. 135, absoluti a se operis an. 89 sexti millenarii, Ch. 1329.

COD. 461

1.° R. LEVI GERSONIDIS *Commentarius in Jobum, in Danielem et in Canticum canticorum.*

2.° R. JOSEPHI ABEN CASPÌ *Commentar. in Ecclesiastem.*

3.° Ej. GERSONIDIS *Commentarius in Esther et Ruth*, chart. rabb. in 4.° sec. XV.

Ineditus est Aben Caspì comm. Ecclesiastis, nec Wolfio notus, quum priora *Bibl.* suae volumina scriberet. Sed quum in Oppenheimeriana vidisset, eum memorat in IV vol. p. 855 sub tit. חצוצרות כסף *Tubarum argentearum*, sub quo reapse in ejus *Catalogo* producitur inter mss. fol. 7 b, omissis tamen reliquis agiographorum libris, quos asserit Wolfius cum eo componi, maleque auctori nostro vindicat. Hunc suum comm. sub hoc eodem titulo profert Caspius in Kevutzàd achèsef, seu collectione argentea sub n.° XII, ut infra monemus ad cod. 755, qui illum complectitur. Gersonidis comm. in Dan. dicitur ab auctore absolutus mense adar II an. 5098, ut in 273.

COD. 462

ANONYMI *Commentarius cabbal. in Canticum canticorum*. Accedit *Expositio prophetiae Zach. IX 9*, et *Psalmi XXIX* cum *textu*, chart. rabb. in fol. min. vel 4.° maj. sec. XV.

In expositione prophetiae Zachariae, quae incipit *E-*

exulta valde filia Sion, totus est auctor ut eorum interpretum opinionem confutet, qui volunt impletam, et adhuc implendam ostendat, et de Messia interpretandam.

Cod. 463

Prophetae posteriores, seu *Isaias, Jeremias, Ezechiel* ac *xII Minores,* memb. hisp. 4.° maj. 2 col. an. 1277.

Luculentissimus ac correctissimus codex, qui habet ad calcem indubium amanuensis testimonium: » Ego Isaac Levita fil. R. Josuae scripsi hos prophetas posteriores pro me ipso, absolvique illos mense ijar an. 5037 a creatione mundi ». Rariorem lectionem exhibet Isai. xLvIII 12.

Cod. 464

Pentateuchus cum *Masora* memb. hisp. 12. sec. xiv.

Initialia sectionum vocabula majora et ornata, librorum aurea, character sat elegans. Fere unicus in *Scholiis criticis* Num. xxII 22 ac perrarus Deut. xxI 15.

Cod. 465

Siddur seu *Ordo precum totius anni* cum *Pirkè avòth, Cantico Exodi,* ac *Psalmis* occurr., memb. rabb. 16. sub fin. sec. xiiI vel in. xiv.

Rubro atramento tituli plerique expressi sunt, unusque est ex duobus superstitibus, qui perraram, ac gravissimam, et optimam lectionem servant Psal. xxxiv 6, seu versum a vav incipientem, qui juxta hod. interpunctionem in alphabetico eo psalmo desideratur.

Cod. 466

Psalmi, et v Meghillòth, seu *Canticum, Ruth, Threni, Ecclesiastes, Esther,* membr. ital. 16. sec. xv.

Cod. 467

Pentateuchus cum *v Meghilloth*, membr. ital. 8.° 2 col. sub fin. sec. xiv vel initium xv.

Nitidus auroque et minio in fronte ornatus, ab Abr. ben Meir, ut ad calcem dicitur, punctis vocalibus instructus. Unicus in *Scholiis criticis* Exod. xxxI 15.

Cod. 468

Meghillà seu *Volumen Esther,* membr. hispan. lin. 16 sec. xv.

Cod. 469

Estheris Volumen membr. ital. lin. 17 sec. xv vel initio xvI.

Cod. 470

1.° R. Isaiae prioris *Commentarius in Prophetas priores ac posteriores* usque ad Habacucum.

2.° Anon. *Comm. in* xiI *Prophetas minores* ex ore Aben Ezrae exceptus.

3.° Ej. r. Isaiae prioris *Commentarius in Psalmos*, memb. rabb. in 4.° sec. xiv.

Inediti sunt Isaiae commentarii in libros Regum, in Psalmos, in posteriores Prophetas, qui tamen non ultra Nahum progrediuntur, ut supra a nobis animadversum est ad cod. 393. Hinc utriusque codicis scriba commentario Aben Ezrae illum supplevit, cum hoc tamen discrimine, quod qui exaravit 393, ab Habacuco incepit, ad quem Isaias desinit, qui nostrum, ab Osea resumsit, ille editum dat cel. illius interpretis comm. in Prophetas minores, hic commentarium ex ejus quidem ore ac traditione exceptum, sed ab eo plane diversum et ineditum. Quod et praefixus indicat titulus: » In nomine Domini Dei omnis carnis incipiam scribere comm. xiI Prophetarum, qui exceptus est vel depromptus ex ore gaòn r. Abr. filii Meir, dicti Aben Ezrae, memoria justi sit in benedictione ». Nec aliter interpretanda epigraphe quae ad calc. legitur: » Explicit comm. Malachiae ac comm. universus xiI Prophetarum Aben Ezrae », idest ex Aben Ezrae ore ac traditione elaboratus. Cum Aben Ezriano enim edito collatus insigniter ab eo discrepat, ut patet vel ex ipso Oseae exordio: » Verbum Domini quod fuit ad Oseam. Praemitto non omnes prophetas fuisse in prophetiae genere aequales. Est enim propheta, cui loquitur Deus benedictus ore ad os, ut locutus est ad Mosem, sicut dictum est, ore ad os loquar ad eum, estque propheta, ad quem loquitur Deus benedictus per visionem et somnium, sicut dicitur: Si erit propheta vester ad me etc. Recte autem constituitur ad Oseam Deum non fuisse locutum, nisi per somnium ». Praeterea in Zacharia' ad ea verba *Ecce rex tuus veniet tibi*, ipsius Aben Ezrae testimonium profertur, quod confirmat esse alterius scriptoris. Sed quis est scriptor ille anonymus, vel discipulus qui comm. hunc ex ore vel mente Aben Ezrae excepit et composuit? Josephne filius r. Jacobi de Modoyl, qui, ut vidimus ex cod. 393, Aben Ezrae comm. in minores Prophetas ex ejus ore ac traditione supplevit? Pronum est id conjicere, sed loca ipsa ab eo suppleta cum nostro textu collata non congruunt. Alteri ergo auctori tribuendus nobis ignoto et incerto. Ac Aben Ezriano quidem commentario noster

hic est multo brevior, litteralis tamen, bonaeque et ipse notae, in exponendis prophetiis de Messia illo etiam luculentior, ut Mich. V I. » Et tu Bethlehem Ephrata. Expositio Bethlehem Ephrata nomen est urbis, ex qua prodierunt reges David et Salomon. Vaticinatur autem propheta de Messia, videlicet quod egredietur Messias, dicens, minimus es tu in oculis tuis, ut sis princeps in millibus Juda etc. », de Messia ipso quae sequuntur, aperte interpretans.

Cod. 471

R. David Kimchì *Commentarius in Prophetas priores*, seu *Josue*, *Judices*, *Samuel* ac *Reges*, membr. ac chart. rabbin. in fol. an. 1446.

Margo amplissimus, sed saepe recisus in foliis membr. ad usum tephilin et mesusòth. Ad calcem: » Porro ego Meir scriba, qui vivat, scripsi et perfeci hunc Kimchii librum in gratiam Menachem Finzi fil. Jekutiel Finzii, qui vivant, absolvique illum die III mensis chislev ... anno *Dixit Deus, sit* א"ור *lux,* seu 207 min. supp.

Cod. 472

Siddur seu *Ordo precum totius anni* cum *Pirkè avoth*, *Cant. Exodi* ac *Psal.* occ., memb. germ. 16. sec. XV.

Cum init. vocabulis auro puro varioque colore expressis.

Cod. 473

1.° Anonymi seu R. Jonae de Toleto *Liber chaijè olàm*, seu *vitae aeternae*.

2.° Anonymi *Divrè ajamim scel moscè*, *Historia Mosis*.

3.° Anonymi *Petirad moscè*, vel *de morte Mosis*.

4.° R. Jehudae Levitae fil. Sabtaei *Minchàd jehudà*, *Oblatio Judae*.

5.° Anonymi *Liber arughè malcùd* seu *de occisis regni*.

6.° Anon. *Medràs asèreth devaròth*, *Expositio decalogi*.

7.° R. Hai Gaòn *Pidròn chalomòth*, *Interpretatio somniorum*.

8.° R. Berachiae fil. Nitronai dicti Nakdan *Mislè*, *Parabolae*.

9.° Anon. *Medràs vajoscah* seu *Cantici Exodi*.

10.° Ben Sirae *Alphabetum* vel *Libellus* cum *Commentario*.

11.° Anon. *Dissertatio de egressu animae ex corpore*.

12.° Anon. *Expositio capitis Proverb. de muliere forti*.

13.° Anon. *Ordo probationis pulmonis*, memb. in 4.° sec. XIV.

Liber secundus ac tertius ab editionibus saepe dissentiunt, reliquisque nostris eorum exemplis. Quartus Jeh. Levitae Minchàd jehudà tum

in titulo, tum ad calcem appellatur quoque liber תחכמוני Tachachmonì, in codice vero 1049 etiam liber Zerach a nomine viri, cujus historia cum muliere quadam, quae eum illaqueavit, rythmice describitur. Contigit autem haec anno, si nostro codici credimus, mundi 4907, Ch. 1147; nam in instrumento dotali, quod sub libri dimidium profertur, annus hic designatur et dies XXIX mensis adar. Quod cum aetate congrueret, qua a Sabtaeo auctor claruisse dicitur, anno videlicet 4900. At vero codex alter meus 1049 legit die XIII mensis adar an. 4977, Ch. 1217, hicque annus confirmatur ex iis quae in eodem codice scribit auctor sub finem libri missum eum fuisse an. 4978. Ubi noster mendose aeram notat, ita tamen ut videatur ob oculos habuisse an. 4908. Ex his porro quae diximus, suppleri queunt quae brevissime ex Bartoloccii ac Sabtaei fide de hoc libro habet Wolfius T. I p. 449. Ceterum adeo evanidus est in exteriori paginarum parte character, ut nonnisi difficulter verba possint legi, alicubi vero nullo modo. De Arughè malcud Gaulminus in notis ad lib. *De vita et morte Mosis* p. 281, ed. Fabricii p. 155, notat de martyribus Bether agere et esse ineditum, eique Wolfius *Bibl. Uffenbachianam* addit parte I p. 127. Medràs decalogi idem est cum eo, quod sub alio titulo affert Wolfius T. II p. 1333 sub n.° 347 ex Oppenheimeri bibliotheca. Ineditum istud est, editum alterum ויושע quo sacer textus de exitu et liberatione ex Aegypto illustratur. Editae et Berachiae parabolae sub titulo Mislè suhalim, seu Parabolae vulpium. De auctore autem ipso ejusque aetate conferenda quae infra adnotamus ad cod. 482. Extat ad calcem cod. amanuensis nomen Jochanan fil. Jacob Coèn, qui carmen subdit.

Cod. 474

Siddur seu *Ordo precum* cum *Psalmis* occurr., memb. germ. 12. an. 1515.

Prima pag. aureis litteris ornatuque varii coloris non ineleganti cohonestatur, haecque sub finem leguntur: »Absolutus opera Abr. Faritzol hic Ferrariae die IV tisrì an. 276 min. supp.».

Cod. 475

Pentateuchus membr. rabbin. 4.° an. 1428.

Librorum ac sectionum exordia litteris constant majoribus rubro ornatu stipatis. Extant ac marg. critica monita de scribendo libro legis publico, hincque constat

adhibitum codicem ut typum scribarum. Penultimo folio: » Finitus est et absolutus opera Mescullam Nachmias fil. R. Nathan fil. Mescullam fil. Abr. Rophè de Bethel ». Ultimo vero: » Testor ego Mescullam Nachmias fil. Nathan me vendidisse hunc Pent. hodie die xiiI adar an. 188 ».

COD. 476

PENTATEUCHUS cum *v Meghilloth, Aphtaròth, Targum* et *Comm.* Jarchì, memb. ital. 4.° maj. sec. xiiI vel init. xiv.

Incipit Gen. xxiv 15, et desinit ad apht. diei iI succòth. Targum extat ad latus interius charact. minori cum punctis, ad exterius Jarchii comm. charactere rabbinico. Habet rarioris commatis lectiones. V Exod. vI 2, xxvI 19, Num. xiv 18, Eccle. ix 14. Est et unicus in *Scholiis criticis* num. xiI 13.

COD. 477

R. MOSIS KIMCHÌ *Maalàch scevilè adàhad, Iter semitarum scientiae*, memb. rabb. 12. sec. xv.

COD. 478

PSALTERIUM cum *Comm.* R. Obadiae Sphorni, chart. in 12. an. 1572.

Charactere quadrato italico quoad textum, rabbinico quoad comm.. Ad calcem: » Finitus et completus, laus Deo, an. 332 opera minimi Isaaci fil. Jacobi Luzzato, quem Deus tueatur, hic Venetiis ».

COD. 479

PENTATEUCHUS cun *v Meghillòth*, memb. germ. fol. min. 2 col. sec. xiiI.

Incipit Exod. xv 22, et desinit Eccle. vI 8. Oscitanter scriptus, sed optimas servans discrepantias, in quibusdam Deuteronomii locis in Clavi indicatis unicus, quibus adde xxviiI 33.

COD. 480

PSALTERIUM, memb. german. 4.° an. 1381.

Incipit Psalm. xxxix 9, alternis scriptus est lineis, nullas habet majores initiales, numerat psalmos 147, hacque explicit epigraphe: » Absolutumque est totum opus... feria iv die xxiv mensis av an. 141 min. supp. vI millenarii. Scripsi hunc librum psalmorum in gratiam R. Josephi. Robustus sit ac fortis, Joseph scriba damno non afficiatur ». Unicus in *Scholiis criticis* Psalmo cxiI 10, rarus CL 2.

COD. 481

1.° R. BECHAI FIL. JOSEPHI, seu senioris *Chovàd allevavòth, Debitum cordium.*

2.° Ejusdem *Tochechà*, seu *Reprehensio, contritio.*

3.° Ej. *Bakascà*, seu *fusa ad Deum Oratio*, memb. rabb. in 4.° min. init. sec. xv.

De primo celeberrimo auctoris nostri opere, cujus plura in hac nostra supellectile prostant mss. exempla, diximus ad cod. 213. Ejus Tochechà, seu precandi formulam, quae incipit *Benedic anima mea Domino*, in Machazor romano Venetiis an. 1626 edito reperiri monet Wolfius T. I p. 238, nec in eo porro uno, sed in aliis multis machazorim ea conspicitur. De altera fusiore is silet. Utramque exhibent etiam codices nostri 684 et 1062. Ad calcem Chovad allevavòth librarii nomen occurrit Jechielis filii Mosis.

COD. 482

1.° R. BERACHIAE BAR NITRONAI *Compendium libri Emunòth* R. SAADIAE.

2.° Ejusd. *Opusculum, quo moralia consilia continentur*, membr. rabb. in 8.° sec. XIII.

Qui nescit auctorem nostrum eundem esse cum R. Berachia Nakdàn seu punctatore, auctore notissimi libri Mislè scuhalim, seu Fabulae vulpium pluries editi, frustra eum quaerit in Wolfio. De eo namque agens T. I p. 272, et III p. 165, solum illud profert officii et artis cognomen ei adventitium, omittitque alterum proprium ac gentilitium *barNitronai*, monens tantum in priori vol. p. 273 sic a Plantavitio, Bartoloccio, et in editione Heneliana ejus libri appellari. Sane in Mantuana, quae est ad manus, anni 1557 omnium prima, (nec dubito quin cum ea reliq. omnes conveniant) non modo editor, sed et auctor ipse ubique se Berachiam cum eo adjuncto bar Nitronai annakdàn appellat. In nostro hoc codice postremum *annakdàn* nullibi comparet, quod indicio est eum, antequam publico illo puncta sacris libris affigendi officio fungeretur, Saadianum istud compendium edidisse, ineditum et ignotissimum. De aetate autem auctoris nostri insignis Bartoloccio error excidit, quem sequitur Wolfius T. I p. 167 et 272, scribens eum floruisse anno Chr. 1400. At vero T. III p. 165 de ea aetate dubitat Wolfius, » si quidem filius ejus extiterit R. Elias annakdan, qui codicem biblicum Berolinensem an. 5094, idest Chr. 1334 absolvit ». Verius dicere debebat filius filii ejus, seu nepos; nam et talem esse manifeste constat ex epigraphe illius codicis, quam ipse affert T. I p. 166 a Danzio latine translatam. Quod si nepotis aetas in eum ann. 1334 incidit, patet jam certissime aetatem avi ad XIII seculum

esse amandandam. Quo sane seculo et codex ipse verisimiliori argumento conscriptus nobis videtur. Saadiae autem libri, qui hic abbreviantur, sunt 1.° Liber emunòth, seu articulorum fidei, 2.° praeceptorum, 3.° de meritis et peccatis, 4.° de anima, 5.° de resurrectione mortuorum, 6.° de liberatione et redemptione, 7.° de retributione et poenis, 8.° de vita recte instituenda. Qui quamvis seorsim recenseantur, sunt tamen totidem tractatus unius ejusdemque libri emunòth, videlicet I, II, V, VI, VII, VIII, IX, X, titulis paullulum immutatis. Haec porro est operis ratio, ut Saadiae primum excerpta Berachias suppeditet, deinde vero sua interdum misceat, aliaque Aben Ezrae, Bechai senioris, Sal. ben Gavirol, Sal. Parchon ejusdem argumenti, sed breviora et ad Saadianorum illustrationem ac confirmationem. Quod institutum sequitur in morali opusculo quod codicem claudit. Quum autem alicubi se interpretem appellet, dicendum est ea excerpta ex arabico ac primigenio Saadiae exemplari hebraice transtulisse.

Cod. 483

Machazor *italicum* cum *Sect. Pent.* ac *Proph.* et *Psalmis* occurr., *Targum in varias sectiones*, et *Constitutionibus ritualibus*, membr. rabb. fol. min. an. 1419.

Ad calcem: » Absolutum porro est opus ministerii sancti mei manu Mosis fil. R. Eliae feria VI die III mensis ellul an. mundi 5179 ». Ex ectypo venditionis quod primo folio legitur, venditus est codex ab Elia Malmad fil. Mosis an. 5211, Ch. 1451. Inter anonymas preces nonnullae extant, quae auctorum nomina habent praefixa, ut Jeh. levitae carmen fusum ante festum purìm, Eliae Azaròth, Maamàr seu Oratio ad Deum Mosis Nachmanidis, Selichà David bar Mescullàm, Selicòth variae Biniamini, ejus Kadisc et Gheulà, Rescùd kadisc Joabi fil. Biniam., Rescùd succòth Matathiae, Rescùd Sèder avodà Aben Ezrae.

Cod. 484

R. Bechai fil. Ascer *Cad akkémach*, *Cadus farinae*, chart. rabb. in 4.° min. sec. XV.

De ejus argumento Wolfius T. I p. 233 et Uri *Catal.* Bodlej. p. 53 ad cod. 308, qui eum continet. Quod tamen subdit Wolfius a Ganzio appellari librum derascòth vel concionum, melius expositionum, nota hunc titulum libro ab auctore ipso tribui in versibus nonnullis, qui ei

subjiciuntur. Occurrit ad calcem librarii nomen: » Benedictus qui dat Obadiae virtutem ».

Cod. 485

1.° Jeremiae *Threni*.

2.° *Lexicon breve hebr.*

3.° *Psalmi duo, LXXIX et CXXXVII.*

4.° Anon. *Poemata varia*, memb. chart. rab. 12. sec. XIV.

Lexicon non protrahitur nisi usque ad litteram nun. Poemata flebilia instar Threnorum respiciunt templi et Hierosolymae eversionem, ac praesentem diuturnam nationis captivitatem. Plerorumque auctor videtur esse quidam Peretz Jechiel, nam saepe hoc nomen dant initialia versuum verba.

Cod. 486

Aphtaroth et v Meghillòth, seu *proph. Lectiones, Cant., Ruth, Threni, Eccle., Esther*, membr. german. in 4.° sec. XV.

Ad calcem Estheris: » Finitus est hic liber, qui continet Aphtaròth et v Meghillòth, opera Simson Jehudae fil. Abr. Levi, qui roboretur. Deus dignum faciat R. Gabriel fil. R. Elchanan fel. m. meditandi in eo, ipsum et semen ejus et semen seminis, sela amen ». Unicus Eccle. III 19, Esth. IV 17, fere unicus Esth. IX 20.

Cod. 487

Liber precum cum *Psal.* occurr. memb. rab. 16. sec. XV.

Cod. 488

1.° R. Elkanae hispani *Maphtèach addikdùk, Clavis grammaticae*.

2.° R. Jehudae fil. Bilham *Taamè amikrà, de Accentibus biblicis*, memb. rabb. in 4.° min. vel 12. maj. sec. XV.

Ignotus est Wolfio prior ille liber, cujus potissimum scopus est eam grammaticae partem illustrare, quae puncta, seu vocalia respicit. Quamobrem in titulo additur ובּיאור הניקוד *et expositio punctationis*. Quod vero ad auctorem spectat, nescio quo argumento Abr. Joseph. Gratiani in ms. nota ad calcem posita, in qua testatur se anno 405, Chr. 1645 librum hunc emisse Mutinae ab haeredibus Israelis Sanguini, eum tribuat R. Elchanae ben Jerucham, auctori libri Pelià, qui est multo antiquior. Sane in nostro codice tum in titulo, tum in epigr. appellatur is simpliciter R. Elkanà hispanus, cujus scriptoris ab antiquiore illo ben Jerucham certo diversi nulla apud Wolfium ceterosque bibliographos reperio vestigia, nisi, quod suspicor, eundem esse conjicias cum Levi ben Eltaban Caesaraugustano, quem

ut auctorem grammatici hujus tituli operis memorat *Catalogus grammaticorum hebr.* a Morino editus, et ex eo Wolfius T. I p. 726. Nihil enim facilius, quam ut in mendoso eo *Catalogo* Eltaban pro Elchanan irrepserit. Is eum recenset ante Aben Ezram. Sed noster est certe eo posterior, quippe qui bis illum in suo opusculo commemorat. Hanc habet epigraphem: » Finita est clavis grammaticae et expositio punctationis, quam composuit R. Elkanas hispanus fel. m. per manum Scallum fil. Mosis f. m., scripsique illum in gratiam egregii praecept. mei ». Abrasum praeceptoris nomen videtur fuisse R. Moses fil. Abr. De posteriore libro R. Jeh. fil. Bilhàm conf. Wolfius T. I p. 418 et III p. 301, ubi insignissimum anachronismum, quem in I vol. commiserat, emendat, latinamque profert Merceri versionem anno 1565 Parisiis editam, sed nullam bibliothecam, ubi Mercerianum vel aliud quodvis ms. exemplar delitescat.

Cod. 489

R. Mosis Nachmanidis *Commentarius in Pentateuchum*, charta laevigata et orientali rab. in fol. an. 1464.

Testimonium conscripti libri habes ad calcem rabbinicis exaratum litteris orientalibus valdeque implexis. » Absolutus est liber hic, qui est Nachmanidis Comm. in legem, per manum minimi Heli discipuli feria VI die XXIII mens. chislev an. יר״ה, seu 225 ». Scriba autem poeseos studio deditus fusum subdit carmen, in quo bis iterum nomen suum prodit, primo quidem per litteras versuum initiales, deinde aperte. Ac priori illa ratione illud jam prodiderat in versibus quibusdam libro praefixis.

Cod. 490

Psalterium, Canticum canticorum, Ruth, Ecclesiastes membr. rabb. in fol. 2 col. sec. XV.

Titulus nitidissimi codicis aureis litteris et imaginibus auro minioque coloratis magnifice elaboratus, Davidem supra repraesentans cum cythara, infra possessoris stemma, circum vero flores et aves. Psalmi habent puncta, reliqui libri iis destituuntur. Exordia V librorum, in quos dividuntur psalmi, eleganti et ipsa ornatu aureo variique coloris distinguuntur, tituli vero singulorum psalmorum caeruleo.

Cod. 491

R. Sal. Gaviròl *Chèder malcùd, Corona regni*, memb. rabb. 16. sec. XV.

Cod. 492

1.° Seder pesach, seu *Ordo paschatis* cum *Psalmis* occurrentibus.

2.° r. Matathiae *Constitutiones de mactatione*, memb. rabb. 16. sec. xv.

Scriptus procul dubio a quodam Aaron, nam bis nomen hoc, inter preces occurrens, punctis notatur. Breviores quae subduntur, Matathiae constitutiones Wolfius non memorat, ac forte sunt Matathiae de Lakart, cujus extat comm. in Saharè orà. De hoc Wolfius t. I p. 903, mirandumque est t. iv p. 927 eum haerere incertum cujus Matathiae esset comm. Saharè orà ms. bibl. Oppenheimeri, eorum oblitus quae priore loco scripserat.

Cod. 493

Estheris Vol. memb. hisp. lin. 17 sec. xviiI.

Cod. 494

R. Mosis Nachmanidis *Comm. in Pentateuchum* abbreviatus, memb. rabbin. in 4.° maj. sub fin. sec. xiv vel in. xv.

Incipit Gen. I 20. Postremo folio hanc nobis notam amanuensis exhibet: » Absolutus est et conscriptus hic commentarius Pent. r. Mosis fil. Nachmanidis manu Isaaci fil. Abr. Chen fel. m. dicti Gratiani ». Sed is abbreviatus sistitur, quod et praecedens epigraphe docet: » Finiti autem sunt v libri quoad summam verborum et partem mysteriorum legis, et res praecipuas ».

Cod. 495

Pentateuchus, seu *Leviticus, Numeri, Deuter.* et *v Meghilloth*, membr. germ. fol. 3 col sec. xiiI.

Incipit Lev. xxvI 24. Unicus Lev. xxvII 12, Deut. xix 15, ac fere unicus Ruth iI 23.

Cod. 496

Abu Chamed Algazali *Appalad apilosophìm, Destructio philosophorum* ex heb. versione Zerachiae Levitae fil. Isaaci Saladin, memb. et chart. rabbin. in 4.° sec. xiv.

Orientalis valdeque implexus character. Liber titulo caret, ex argumento tamen ac collatione cum cod. 143 constat esse Algazalii librum destructionis philosophorum, quamquam valde et saepe ab eo codice differat. Quod ab interpretum diversitate videtur repetendum. Praecedit praef. Zerachiae Levitae fil. Isaaci Saladin, qui eum ex arabico vertit, in qua praeter libri et auctoris encomia magnis laudibus celebrat don Boboscath ben Lavi fil. don Sal. ben

Lavì. Sequuntur quatuor aliae Algazalii praefationes, quae in alio codice nostro desiderantur. Interpres autem ille idem profecto est cum eo, quem librum de essentia animae in Vaticana extantem ex arabico convertisse notat Wolfius T. I p. 362, perperam, ut videtur, ab eo a praecedenti hispano, qui disputationi cum Hieronymo a sancta fide interfuit, distincto.

Cod. 497

Miscnae *Tractatus varii*, memb. hisp. 4.° sec. XIII.

Numero duodecim, qui purificationis ordinem respiciunt, videlicet chelim seu de vasis et instrumentis, oholòth de tabernaculis, neghaim de plagis, parà de vacca, tahoroth de purificationibus, mikvuòth de fossis, niddà de menstruata, machscirin de liquidis, zavim de fluxu seminis, tevul jom de loto diei, jadaim de manibus, oketzin de petiolis. Luculento charactere quadrato hisp. scripti cum punctis.

Cod. 498

1.° R. Levi Gersonidis *Commentarius in Danielem*.

2.° Ejusdem *Commentarius in Job*, memb. et chart. rabb. in 4.° an. 1448.

Quo anno commentarium in Danielem Gersonides perfecerit, hucusque ignorabatur. Id docent trium nostrorum codicum epigraphes 273, 461 ac 498, summa consensione tradentes eum absolutum fuisse mense adar II an. 98 sexti millenarii, Ch. 1338. Nota alterius comm. in Job fert a scriba absolutum die VII mensis marchesvan an. החיים 5068, sed procul dubio praecedens vocabulum באור punctis erat designandum, quod annum dat 209, Ch. 1448. Prior namque aera est aperte mendosa.

Cod. 499

Esther, Ruth, Canticum, Threni cum var. *Sect. biblicis* excerptis ex *Machazòr*, memb. rabb. fol. sec. XV.

Cod. 500

Pentateuchus cum *Targum* et *Comm.* Jarchì, memb. rabb. 4.° sec. XIII.

Detritissimus, quia in ghenizà, unde erutus, diu jacuit sepultus. Deest I fol. et desinit Num. XXX 5. Initiales minores, litterae coronulis ornatae.

Cod. 501

Psalterium cum *Comm.* R. David Kimchì, memb. chart. rabbin. in 4.° an. 1397.

Sed sacri textus versus, qui tamen non semper integri producuntur, charactere exarati sunt quadrato germ..

Ad calcem: » Et finis ejus fuit mense av an. 157... Pinchas fil. R. Sal. Lunel ». Qui et in nota quam subdit, testatur se a R. Jechiel fil. R. Mardochaei fil. Kalonymi, praeceptore suo clarissimo, in cujus gratiam librum hunc Patavii conscripsit, statutam mercedem accepisse. Numerat psalmos 151, locaque exhibet antichristiana Kimchii abrasa.

Cod. 502

Aphtaròth seu *propheticae Sect. totius anni*, memb. ital. sec. XIII vel init. XIV.

Incipit a 2 aphtarà Toledòth nòach.

Cod. 503

Pentateuchus, memb. in 4.° 2 col. eximiae vetustatis.

Mutilus ac detritus codex, qui incipit Gen. XLII 14, et desinit Deut. XV 12, ex plagulis variae aetatis consarcinatus, quarum antiquiores sunt forte X vel XI seculi, vel saltem maximae antiquitatis. Membrana antiqua, flava, vetustate vel etiam loci humiditate corrosa, atramentum evanescens, litterae obsoletae ac ceteris aequales. Character generatim semirabbinicus, sed vetustus ac rudis, in nonnullis vero plagulis quadratus vergens ad formam germ.. Puncta adsunt ex prima scriptoris manu etiam in antiquioribus partibus, aliquando desunt. Nullum kerì, nullum masorae vestigium, et interdum nullum omnino ante majores sectiones spatium. Congruit saepe cum Samar. textu et antiquis versionibus, unicus quoque in iis confirmandis in variis locis in clavi productis, quibus addendus Deut. VIII 7. Erutus ex ghenizà Luci in quo servabatur fragm. 634, quod nobis visum est antiquius ac proinde duximus separandum.

Cod. 504

Ezechiel ac XII Prophetae minores cum *Comm.* R. David Kimchì, chart. rabb. 4.° 2 voll. an. 1460.

Incipit Ezech. VII 1, et desinit Malach. II 3, sub finem vero Ezech. dicitur absolutus die I mensis chislev an. M. 5221. Sacer textus habet puncta, eumque sub ipsum exordium perraram quamdam lectionem prodere, quam vetustae omnes versiones confirmant, in edita codicum clavi animadvertimus. Rariorem alteram in *Supplementis* protulimus ad Ezech. XVI 21.

Cod. 505

R. Sedeciae Rophè filii Abr. *Scibbolè allèket, Spicae spicilegii*, chart. rabbin. in 4.° an. 1508.

De auctore agit quidem Wolfius sub n.° 1874, sed tanta brevitate, ut vix nudum ejus nomen indicet, cognomenque ipsum, sane non obscurum, familiae, ad quam pertinet, cum appellativo professionis vel medici titulo confundat ac permutet. Nos de familia hac doctisque viris qui ex ea prodierunt, multa diximus ad cod. 190. Sedecias noster fuit Abr. Rophè filius, Jechielis nepos, Biniamini fil. Abr., quem saepe memorat, frater, Jehudae fil. Biniamini Rophè, qui constitutiones mactationis et tephilin aliaque edidit, consobrinus ac discipulus, consobrinus etiam Sedeciae fil. Biniamini ejus fratris. Etenim Beniamin eorum pater, et Abrahamus pater Sedeciae nostri, fratres erant, filii ambo Jechielis. Patent haec ex pluribus nostri auctoris testimoniis, tum in libro ipso Scibbolè allatis, tum in libro Tanià, seu nostri comm. agadae illic inserto, quae nos diligentissime contulimus et examinavimus, confirmatque ex parte ms. Lonzani nota, quam ex *Korè adoroth* ad eundem cod. 190 produximus. In hoc nostro codice variorum responsa, potissimum R. Avigador Coèn, producens auctor ad postremos illos rabbinos data, eos ubique fratres suos secundarios, seu patrueles appellat. Floruit is in Italia, ut notat *Scalsceled akkabbalà* fol. 56 b, medio sec. XIII, nam testatur Gemarae combustionem in Gallia in diebus suis accidisse an. ab orbe condito 5004, Ch. 1244. Beniamin ejus frater codicem meum 331 conscripsit an. 1260. Haec de auctore. Quod vero ad opus ipsum spectat, mirandum profecto est summopere a Wolfio, qui de eo in singulis *Bibliothecae* suae locis sub eo numero egit, mendose ubique appellari Scevilè, seu semitae collectionis. Quod mendum vel ex iis quae de argumento tradit Plantavitius, tituloque *Catalogi Pragensis* emendare is facile poterat. Atque illud adhuc magis mirandum, quod in I vol. p. 1001 Bartoloccium arguat, qui librum hunc ritualem et juridicum de licitis et vetitis praecipere verissime asseruerat, subdatque rectius factum, si speciatim ad ordinem I Arba turim dixisset spectare. Nam et ritualis ac juridicus est liber, secundamque et ineditam ejus partem in Oppenheimeri codice reapse inscribi הלכות אסור והתר *Constitutiones vetiti et liciti*, Wolfius ipse adnotat T. IV p. 962. Quomodo autem ad Arbà turìm spectare opus hoc potest, si anno, ut vidimus, 1244 ejus auctor florebat,

auctor vero Arbà turìm an. 1340? Idque tradente ac consentiente Wolfio ipso de utroque auctore T. III p. 961, et T. I pag. 582? Secundam autem illam et ineditam operis partem continet et noster hic codex, et quidem sub eodem titulo codicis Oppenheimeriani. Eandem possidebat etiam R. Menachem Lonzano ex *Korè adoròth*, de ea tamen loquens acsi diversus plane a Scibbolè lèket esset liber. Eam tandem vidit ms. sub titulo P. II Scibbolè Azulai P. II *Scem aghedolim* fol. 71 b, ubi ejus argumentum variaque contenta breviter exponit. Continet autem pars haec constitutiones 173, quarum index praemittitur. Indicem excipiunt versus nonnulli, qui initialibus litteris produnt nomen auctoris, quod iterum fit sub initium Dinè nedarìm. Sua extant auctoris quaesita ac responsa, ac decisiones, ac praeter has aliae complures celebriorum rabbinorum, quorum saepe integrae dantur constitutiones ac solutiones, explicitque epigraphe scribae Josephi Galiko qui opus hoc se absolvisse testatur fer. VI initio mensis ijar anni 268.

Cod. 506

R. Mardochaei fil. Hillel *Chiddusce mordechi*, seu *novellae Observationes*, chart. rabb. in 4.° an. 1508.

De auctore et opere mordechi, utroque notissimo, suo loco Wolfius, qui praeterea notat ejus compendium editum esse. Titulus nostri codicis, ut in epigraphe exprimitur, est chidduscìm, seu novellae observationes ex Mordechì magno, sub quo titulo a Wolfio non afferuntur, nisi sint observationes rabbènu Nissìm. Eae incipiunt a tractatu Scabbat, suntque numero 449. Eas excipit amanuensis epigraphe Jechielis fil. Josephi viri Treves, vel Tarvisini testantis se observationes has Mordechì magni absolvisse feria III die XXIX tamuz an. 268 min. supp. Sequitur earum omnium fusus et accuratissimus index.

Cod. 507

Pentateuchus cum V *Meghillòth* et *Aphtaròth*, seu *Voll. sacris* ac *Sect. proph.* membr. semirabb. 4.° min. 2 col. ac 2 voll. sec. XIII.

Incipit Gen. I 31. Vetustus codex sat diligenter conscriptus, in quo nulla masora, nullum kerì, nullae vel rarissimae correctiones. Rariores aliquando fovere lectiones vidimus ad Gen. XXXI 20. Est et fere unicus in *Supplementis* Deuteronomii XXXII 30.

Cod. 508

1.° R. Mosis Nachmanidis *Commentarius abbreviatus in Pentateuchum*.

2.° r. Scem Tov fil. Abr. *Chèder scem tov, Corona nominis boni*, seu *Comm.* in eundem Nachmanidem *in Pentateuchum*.

3.° Anonymi *Commentarius in x Sephiròth*, membr. rabb. in 4.° sec. xv.

Comm. Scem Tov ad marg. sistitur, nec ultra prima quatuor folia progreditur, sed habes integerrimum in cod. 1108. In utriusque codicis praefat. appellatur is Chèder scem tov, quo titulo cum insigniantur etiam conciones in legem Venetiis excusae an. 1601, in binos gravissimos errores lapsus est Wolfius T. I p. 1124, et II p. 1132. Duo enim opera inter se diversissima confudit, nostrumque commentarium sub uno eodemque numero ac titulo illarum concionum retulit, binis productis Parisiensibus ejus codicibus, regio et collegii soc. Jesu, qui vel solo titulo eum erroris arguebant. Confudit et binos diversissimos auctores, nam conciones illae non nostri auctoris sunt, sed r. Scem Tov Malmad patris r. Meir, qui Mispàt tzèdek edidit. Nec porro una haec extat in Wolfio de hoc libro et auctore caespitatio. Binas alias suppeditat p. 483 I vol. Ibi namque ineditum alterum comm. in Pent. sub ipsissimo titulo Chèder scem tov perperam r. Jom Tov assignat, qui idem omnino liber cum nostro hoc est, nostroque auctori verius tribuendus, nec qui ei subditur Migdàl òz, cel. comm. in Maimonidis Jad chazakà saepe editus, r. Jom Tov est, sed nostri Scem Tov, ut ostendit auctor *Korè adoròth* fol. 24 b, notatque Azulai P. I *Scem aghèdolìm* fol. 60 b. Prioris illius hallucinationis haec esse videtur ratio (nam in posteriore habet qui eum praecesserint), quod viderit Wolfius Chèder scem tov ejusdem auctoris dici cum Migdàl òz, quem cum ex praeconcepta aliorum opinione Jom Tov esse crederet, eidem utrumque librum referendum censuit. Sane idem Azulai P. II *Scem aghedolìm* fol. 47 sub solo auctore Migdàl òz nostrum hunc Chèder scem tov protulit, eum tamen ab edito concionum recte distinguens, subdensque se ms. vidisse de Nachmanidis mysteriis agentem, primum in urbe Bordeaux, tum Parisiis in bibl. regia. Praeterea rectius Wolfius vocare eum debebat commentarium in Nachmanidis Comm. in legem, ut aperte

vocatur in posteriore nostro codice, quum hoc sit libri institutum obscuriora Nachmanidis loca illustrare, soleatque ob id in codicibus cum eo componi. Jam vero quamquam a nostro hoc commentario ego diversos non putem tres codices, quos Oppenh. *Catalogus* recenset in mss. classe fol. 10 hujus tituli, auctoris et argumenti, diversissimus tamen habendus est Bodlejanus, quem profert Wolfius c. l. III vol. et ex Gagnerii litteris illustrat, ut ex descriptione ipsa patet, etsi eundem habeat auctorem eundemque in veteri *Catalogo* titulum. Quod luculenter confirmatur ex novo *Catalogo* Urii, quem in Italia frustra quaesitum doctissimi Silvestri de Sacy beneficio nuper ex Anglia accepimus. Is enim p. 69 sub num. CCCLXXI alium omnino titulum eumque accuratiorem, priori rejecto, illi assignat, testans inscribi בדי הארון *Vectes arcae et turrim Chananel*, ac septem sectionibus constare ac XXVIII capitibus, ubi adhibita literarum, punctorum, accentuum apicumque vi et potestate, de creatione et sephirarum emanatione disseritur. Praeter codices quos innuimus, Vaticanum, sed recentissimum et a Grimano an. 1658 descriptum, memorat Bartoloccius, Mediceum Langius et Biscionius, qui *Bibl. hebr. Flor.* p. 240 Wolfium accusat, quod male codicem ex Langio sub titulo concionum in legem retulerit, non animadvertens non ex Langii testimonio id a Wolfio fieri, sed ex praeconcepta falsa opinione, quod unus idemque esset liber. Nota tandem auctorem nonnisi ex amanuensis oscitantia in nostro hoc codice appellari Scem Tov fil. Josuae fil. Abr. fil. Saulis, quum reliqui omnes legant fil. Abr. fil. Josuae. Omnes etiam legunt fil. Saulis, vanaque propterea est Wolfii conjectura forte legendum esse Samuelis. Nec dubitandum, quin in eo quod scribit Wolfius T. III p. 797 extare R. Scem Tov ben Jacob comm. super illum Nachmanidis, in nomine *Jacob* erratum sit, quod et ipse conjicit p. 1135, etsi Oppenheimeri codicem producat. Anonymus est qui postremo loco occurrit, comm. in X sephiròth, diversusque ab eo R. Menachemi discipuli Eleazaris Wormatiensis, qui extat in cod. 1108.

Cod. 509

Biblia memb. rabbin. 16. 2 col. sec. XV.

Nitidus minutoque charactere exaratus sine punctis, primis octo foliis exceptis.

Initiales litterae majores, excepto Genesi, kerì nullum, Paralipomena primus agiographorum liber, libri poetici, seu Psalmi, Job, Proverbia, hemistice divisi.

Cod. 510

Psalterium cum *Commentario* r. Abr. Aben Ezrae. Accedit *Seder chadanìm, Ordo sponsorum,* membr. germ. 12. sec. xiv.

Elegantissimus codex, qui habet initiales psalmor. majores, nec non auro, minio, variisque hominum, animalium, instrumentorum figuris ornatas. Ex epigr. quae ad calcem comm. extat, nunc primum ex auctoris ipsius ore edocemur, quo anno et ubi is illum perfecerit: » Ego Abr. filius Meir hispanus exposui librum psalmorum. Absolutus est anno 4916 ab O. C. (Chr. 1156) sub dimidium mensis ellul in urbe Rhodi ». Hoc eodem anno in urbe Rhodi dicitur ad calcem editi textus absolutus comm. Danielis. Quo novo argumento revincuntur ii qui putant Aben Ezram an. Chr. 1148 obiisse. Qui sequitur sponsorum ordo, eleganter et ipse scriptus est, sed e recentiori manu.

Cod. 511

R. Josep. Zark *Rav pehalìm, Magnus operibus,* memb. et chart. rabb. in 4.° sec. xv.

Fusum et absolutissimum opus grammaticum ineditum, de quo Wolfius т. I p. 528 et III p. 396. Sunt tamen quaedam in eo supplenda vel melius efferenda. Cognomen suum bis auctor exprimit per זארק Zark, non זרקא *Zarkà,* ut utrobique habet Wolfius. Exprimit et patrem suum, et avum a Wolfio omissos, ad praef. calcem dicens se filium Jehudae fil. Isaaci. Apertissime autem in fine operis vera auctoris aetas tempusque compositi libri quae hucusque ignorabantur, indicantur: » Composui et concinavi illum die I mensis ellul an. 5189 a creatione spiritus Adae vel hominis », Chr. 1429. Ex hac epigraphe patet perperam putasse Wolfium posteriore loco nostrum eundem fortasse esse cum Josepho Zarka praeceptore Abr. Rophè Portaleonis auctoris Sciltè aghibborìm, qui longe post, ac nonnisi medio xvI seculo vixit. Composuit autem hebraice, non italice, ut habet Wolfius primo loco. Extabat olim etiam Patavii, teste Thomasino, in bibl. s. Joh. in viridario, cujus codices modo ad Venetam divi Marci translati sunt. Sub nostri initium antiqua manu recensentur sacrae scripturae versus, quos in libro radicum profert Kimchius, sed non reperiuntur. Celebres ii sunt,

diuque post Marci Marini, Capellani aliorumque testimonia christianis criticis notissimi ex epigraphe Neap. editionis illius libri an. 1490, in qua corrector Latephius eos primum observavit. Conf. quae fuse de iis et Latephii nota disseruimus in *Annalibus heb. typ. sec. XV* p. 76. Atque iidem omnino quidem sunt eodemque ordine prolati; sed noster codex addit radices singulas, et loca etiam scripturarum, cum quib. verisimilius conjiciuntur confusi. Addit et unum versum seu locum, qui a Latephio omittitur. Quod argumento est scriptorem nostrum eos ex Neap. edit. non descripsisse.

Cod. 512

Prophetae priores ac posteriores, seu *Josue, Judices, Samuel, Reges, Isaias, Jeremias, Ezech.*, ac XII *Minores* cum *utraque Masora*, memb. hisp. fol. 2 col. sub fin. sec. XIII vel init. XIV.

Luculentus codex et sub librorum initium ornatus, unicus in *Schol. crit.* Jos. XIX 32.

Cod. 513

R. Jeh. Rophè fil. Bin. *Ilcoth scechità, Ritus mactandi* cum comm., memb. rabb. 12. sec. XV.

Discrepat commentarius ab eo quem exhibet cod. 99. Pertinuit olim ad Sal. Norzium.

Cod. 514

1.° R. Kalonymi *Mescarèd moscè, Minister Mosis*.

2.° R. Jeh. Charizii *Index locorum sàcrae Scripturae, quae producuntur in* Maimonidis *Morè nevochìm*.

3.° Anon. *Poema super controversia Maimonidis*, memb. rabb. in 4.° sec. XV.

Primum librum, hic plane anonymum, ejus Kalonymi esse, qui discipulus erat Maimonidis, ad cod. 207 animadversum est. Quum is in defensionem conscriptus sit cel. ipsius Maimonidis libri Morè nevochìm, hinc non male conjuncta sunt sequentia, quae ad eundem librum pertinent. Ac index quidem locorum biblicorum saepe occurrit ad libri calcem, tum in mss. codicibus, tum in editionibus ipsis plenioribus, sed plerumque anonymus. Eum a R. Jeh. fil. Salom. Charizi fuisse digestum, et ex ejus versione Morè retentum nunc primum discimus ex cod. Vatic. 292 T. I *Catal.* p. 272. Ineditum illud poema, codicem claudens, nullibi proditur.

Cod. 515

Abuchametis Algazeli *Liber de opinionibus philosophorum* heb. versus a R. Jehuda fil. Sal. Nathan, membr. rabbin. in 4.° sec. XV.

Nitidus quidem et cum initialibus verbis auro puro expressis, sed ad calcem mutilus. Praecedit praef. interpretis Jeh. Nathan, quae in aliis codicibus vel deest, vel alibi collocatur. Conf. dicta ad cod. 143, et 286.

Cod. 516

1.° Canticum canticor. cum *Comm.* Levi Gersonidis.

2.° Ej. Gersonidis *Commentarii in Ecclesiastem, Esther et Ruth*, membr. rabb. 4.° sec. xv.

Quae leguntur ad calcem » Hic vero absolvitur comm. hujus vol., fuitque finis ejus init. mensis nissan an. 89 sexti millenarii », de comm. ipso ut patet, intelligenda sunt, non de codice.

Cod. 517

Agiographa, seu *Psalmi, Prov., Job, Paral., Daniel, Esdras, Nehemias, Ruth, Cant., Threni, Eccle., Esther*, memb. rabb. 12. in. sec. xv.

Interius quidem priores tres libri, ad marg. reliqui, omnes sine punctis, psalmis exceptis. Librarius initialibus litteris punctis supra instructis alicubi nomen suum Menachem designavit. Raram et optimam lectionem habet codex Job xvII 10, et in *Scholiis crit.* Psal. xlix 14. Est et unicus in *Scholiis* Prov. xxvI 10.

Cod. 518

Biblia cum *Masora utraque, variis Lectionibus* ben Ascer et ben Naphtali et *Tikkùn sopherìm*, membr. hisp. 4.° 2 voll. ac 2 col. sec. xiv.

Ornatu rubri coloris circumsepiuntur variae eae lectiones et tikkùn sopherìm, quae sacro textui praemittuntur. Sequuntur sacra vasa et instrumenta puro auro expressa, sed super fundo varii coloris. Aurei etiam sunt librorum tituli, alii colorati, initiales minores, libri poetici alternis lineis distributi, agiographorum ordo talmudicus. Nec desunt, etsi hisp. sit codex, amasoreticae lectiones, et interdum rariores. Unicus est Jud. xI 29, Nehem. vII 57, fere unicus Jerem. v 7, Ezech. xvI 45, Job xxiv 18, I Paral. iiI 6, rarus Num. xxvII 23, II Paral. xxv 28. Notantur ad calcem an. nativ. filiorum antiqui possessoris 1463, 1464.

Cod. 519

Comp. Machazòr *hisp. ritus* cum *variis Sect. Pent.* ac *Psal.*, memb. germ. 4.° min, sec. xv.

Cod. 520

Anon. *Commentarius libri Esther*, chart. rabb. 12. sec. xv, vel init. xvI.

Ineditus et auctoris incerti.

Cod. 521

Pentateuchi *Section. nonnullae* cum *metrica oratione*, chart. ital. 8.° sec. xv.

Cod. 522

Meghillà seu *Volumen Esther*, membr. hisp. lin. 20 sec. xv.

Prima membrana praesefert preces ante et post dicendas, ad quarum calcem litteris rabb. suppleta sunt verba » Sicut ultus es de primis, sic ulciscere et exscinde postremos ».

Cod. 523

Volumen Esther memb. charact. intermedii vel ital. lin. 12 sec. xvI.

Cod. 524

Numeri ac Deuteronomium, memb. rab. 8.° sec. xiv.

Incipit Num. vII 2, desinit Deut. xxvIII 53.

Cod. 525

Estheris Meghillà, seu *Volumen* membr. hisp. lin. 12 sec. xvI.

Cod. 526

Compendium Machazòr *hisp. ritus* cum *Sect. legis* ac *Proph.* et *Psalmis* occurr., *Pirkè avòth*, Gavirolii *Azaròth*, ac *Constitutionibus variis*, membr. ital. 8.° exeuntis sec. xiv.

Saepe tamen vergit characacter ad hisp., initiales pleraeque varii coloris, crebro ornatae. Bis ad marg. occurrit Salomonis nomen per rascè thevòth ad innuendum nomen librarii.

Cod. 527

R. Jehudae fil. Eleazaris *Minchad jehudà*, *Oblatio Judae*, seu *Comm. in* Rascì *super Pentateuchum*, membr. rabbin. in 4.° an. 1412.

De eo Bartoloccius et Wolfius T. I p. 412, qui tamen etsi conjiciat Bartoloccium ex ms. Vaticani fide loqui, veretur, ne mendi hic suspicio oboriri possit, quia Sabtaeus hunc librum tribuit R. Jehudae Löw filio Obadiae. Sed fidentius jam loquitur infra p. 445, item T. III p. 296 et IV p. 827, hunc esse libri auctorem absolute pronuncians, minusque recte, immo et falso a Bartoloccio Jehudae filio Eleazaris assignari. At perperam omnino; nam non modo codex Vaticanus postremo huic scriptori tribuit, sed et Colbertinus, ipso non diffitente Wolfio, qui etiam subdit sub ejus nomine Lublini et alibi eum prodiisse. Binis illis codicibus addantur jam bini nostri, 527 et 537, qui in epigraphis egregie illud confirmant, et quidem ipsissimis auctoris verbis. » Porro ego Judas, habet noster

hic, filius Eleazaris composui illum anno 43 min. supp. coram praeceptore meo R. Eliakim fil. R. Menachem, scribens in eo verba ejus, et verba Chazekuni, et adhaerens Talmudi, Tosephòth, Tanchumae, Berescith rabbae, et judiciis R. Mosis Kotzensis, nec non principiis vel fundamentis aliorum interpretum, producto cujusque nomine, vocavique illum nomine meo Minchàd jehudà, seu oblationem Judae ». Idem habet codex 537, nisi quod multo fusior sit ejus epigraphe, de Rasciano comm. ejusque obscuritate ac notis multa praemittens, et pro anno 43, legat 73. Idem tandem ms. codex vetustus ab Azulai laudatus P. II *Scem aghedolim* fol. 29 b et 53, confirmans posteriorem annum 73, qui proinde ut verior, est restituendus. Consentiunt ergo codices omnes, nec video, quare hanc codicum consensionem a se admissam constantissime Wolfius desereret, ut Sabtaei fidem sectaretur, dubiam nullique fundamento innixam. Post notam illam auctoris haec alia consequitur librarii: » Absolutum autem est artificium operis sancti, quod feci in hoc libro ego Abraham fil. R. Menachem Alatrino, feria V heb. die XXIV mensis adar an. 172 sexti millenarii ».

COD. 528

R. MOSIS MAIMONIDIS *Jad chazachà*, memb. rabb. in fol. min vel 4.° maj. 2 col. init. sec. XIV.

Incipit a tractatu et constitutionibus Avodà usque ad finem operis, ad calcem tamen nonnulla deficiunt. Initiales litterae aureae, tituli vero rubri, ut et epigraphae ac figurae occurrentes. Scholia quae extant ad marg., ostendunt codicem cum pleniore alio collatum.

COD. 529

PENTATEUCHUS membran. germ. in 8.° 2 col. sec. XIV.

Masora nulla, nullum kerì, initiales majores, pe contortum, litterae coronulis ornatae, quae demonstrant codicem conscribendis sacris voll. destinatum. Habet varias lectiones bonae notae, aliquando rariores, ut Gen. XLIX 11, Num. XXI 13, XXIII 17, Deut. V 20, XXXIII 4.

COD. 530

MEGHILLA' seu *Volumen Estheris* membr. hisp. lin. 15 sec. XV vel XVI.

COD. 531

R. JEDAJAE BADRESCITAE fil. Abrahami *Compendium* et *Expositio Canonis* Avicennae, bomb. rabbin. in 4.° seculi XIV.

Notissima sunt cel. hujus auctoris scripta, sed de hoc nostro Wolfius aliique bibliographi profundissime silent, ex quo jam dignoscimus inter ceteras scientias eum etiam medicinam excoluisse et de ea scripsisse.

COD. 532

PENTATEUCHUS membran. ital. 4.° min. 2 col. an. 1437.

Fol. 2 sub finem biblici versus, qui paginam circumdat, dicitur exaratus an. עמנואל, seu 197, Ch. 1437, designato, ut videtur, scribae nomine Immanuele. Non destituitur optimis var. lect. nunquam posteriori manu emendatis. Unicus Gen. XXXVI 24, et in *Suppl.* Deut. XXXII 43.

COD. 533

1.° R. LEONIS vel JEHUDAE MUTINENSIS *Epistola autographa* codici praefixa *de Alphonsi scripto eo contento*.

2.° R. ISAACI BEN POLKAR *Ighèred acharaphoth*, seu *Epistola exprobationum* ad Alphonsum, quondam R. Abner.

3.° MAGISTRI ALPHONSI *Tescuvòth*, seu *Responsiones ad exprobrantem*, idest R. Isaac ben Polkar.

4.° MAIMONIDIS *Epistola ad filium suum* R. Abraham.

5.° MAG. ALPHONSI *Epistolae tres contra judaeos*.

6.° R. JOSEPHI SCALOM *Responsiones ad Epist.* Alphonsi.

7.° MAGIST. ALPHONSI *Tescuvòth attescuvòth*, seu *Responsiones ad responsiones* R. Josephi Scalom, bombic. rabbin. in 4.° sec. XIV.

Pretiosus codex ob inedita et ignota, quae continet controversiarum religionis scripta. Celebris Jehuda Mutinensis in praefixa autographa epistola fusum Jachiae locum ex ejus *Scalscèled akkabbalà* producit fol. 56, qui agit de R. Abner Nachmanidis discipulo, judaicae fidei desertore, et facto quodam quod inter eum ac praeceptorem intercessit, subdens eum vocatum deinde fuisse Alphonsum sibique ejus scripta antijudaica adeo subtilia visa esse ac docta, ut quum refutare jam ob provectam aetatem non posset, ac vereretur, ne quispiam seduceretur eorum lectione, de iis comburendis cogitarit. Ac de Alphonso quidem nostro fuse agit Wolfius sub n.° 322, proferens ejus Bella Domini, in quibus alterum hujus tituli librum antichristianum R. Josephi Kimchì refutat, sed de ejus controversiis cum R. Isaaco Polkar et Josepho Scalom, et scriptis apologeticis hoc codice contentis silet profundissime. Nihil etiam habet de primo ejus libro מנחת קנאות *Oblatio zeli* inscripto, cui epistolam suam exprobrationum אגרת החרפות, Polkarius

opposuit, ab auctore ipso memorato sub initium primi sui responsi. Nec illud Jachiae testimonium Wolfius novit, quum non notet Alphonsum fuisse Nachmanidis discipulum, neque colloquium illud memoret cum eo habitum post desertum judaismum, Abneris autem nomen antea habuisse vix ex solo titulo innuat hisp. versionis libri Bellorum Domini, quae teste Ambrosio Morales in *Itinere sacro* apud Pincianos benedictinos servabatur. Hic idem Alphonsus est, contra quem R. Scem Tov ben Sciphrut vel Sprot in suo *Even bòchen* multa conscripsit, quem màle Wolfius in not. ad I vol. p. 1126 Petrum Alphonsum esse conjecit, exjudaeum alterum antiquiorem XII seculi qui Dialogum contra judaeos edidit, ut infra animadvertimus ad cod. 760. De eodem Alphonso multa habent et Alphonsus de Spina in *Fortalitio fidei*, et Nicolaus Antonius *Bibl. hisp. antiqua* T. II p. 103 et ex iis Rodriguez de Castro *Bibl. hisp. rabb.* T. I p. 195, quibus tamen omnibus, aeque ac Wolfio, quae supra recensuimus polemica scripta ignota fuerunt. R. Isacum ben Polkar hispanicum librum contra astrologiam scripsisse, qui ms. in Vaticana extet sub n.° 6423, una cum refutatione Alphonsi nostri tradit Bartoloccius, quem exscribit Wolfius T. I p. 687, et Rodriguez de Castro cit. l. p. 624. Sed legunt omnes *Polgar* per ghimel, quum melius ac constantissime legat noster codex per koph *Polkar*, de scripto autem ejus antichristiano contra Alphonsum edito ne verbum quidem. Idem plane dicendum de responsionibus Josephi Scalom, de cujus controversia, libro, nomine, omnes silent. De utroque scripto egimus in *Bibliotheca jud. antichristiana*, ubi monuimus primum illud Polkarii in V sectiones dividi, in quarum I.ª ostendit necessitatem religionis, in II.ª vera ac necessaria ejus dogmata in judaica servari, in III.ª eam esse reliquis praestantiorem ac sanctiorem, in IV.ª in ea sola faveri spem vitae futurae, in V.ª Messiam non venisse, in secundo Scalomi tres Alphonsi epistolas confutari, in quibus ostenderat nomine IV regni a Daniele praenuntiati tamquam excindendi ante Messiae adventum, regnum edom seu christianorum non posse intelligi, ex Danielis vero oraculo de LXX hebd. et ex talmudicis testimoniis Messiam jamdudum venisse ac frustra expectari. Moralis Maimonidis epistolae ad filium titu-

lus monet eam ex libro decerptam esse, quem auctor morti proximus composuerat, et praecepta ad filium continebat, et ex arabico fuisse translatam. Purum namque amanuensis mendum est, quod transpositis litteris legatur העברי pro הערבי, quod et puncta supra notata designant.

Cod. 534

Siddùr seu *Ordo precum totius anni* cum *Psal.* occurr. memb. rabb. 12. init. sec. xiv.

Cod. 535

Pentateuchus cum *Aphtaròth*, *v Meghillòth*, *Volumine* Antiochi *chaldaice*, *Masora*, et *Psal. variis*, memb. hisp. in 4.° min. 2 col. an. 1484.

Praeclarissimus codex, in quo praecedunt totidem dispositae columnis variae lectiones ben Ascer et ben Naphtali, calendarium, elenchus majuscularum ac minuscularum, et parascarum festorum. Librorum tituli majorib. litteris aureis elegantique ornatu condecorati sunt, magna ingeniose distributa, quo eodem artificio ad marg. Aphtaroth et ad calcem codicis quidam psalmi inserti sunt. Hac explicit epigraphe: » Ego Joseph scripsi hunc Pentateuchum cum Aphtaròth et sex Meghillòth cum punctis et masora in gratiam potentis don Mosis fil. Sam. Altortòs, absolvique illum, adjuvante Deo excelso, mense nissàn... an. לט״הר 244, » Chr. 1484. Unicus in nonnullis Gen. ac Levitici locis in clavi notatis, ac fere unicus in *Scholiis criticis* Deut. xxxiiI 16.

Cod. 536

Liber precum cum *Pirkè avòth* et *var. Psalmis*, memb. germ. 12. sec. xiv.

Cod. 537

R. Jehudae fil. Eleazaris *Minchàd jehudà*, seu *Comm. in* Jarchium *sup. Pent.* chart. rabb. in 4.° an. 1466.

De auctore et libro, quem perperam Wolfius ac Sabtaeus alteri assignant, sat diximus paullo ante ad cod. 527, ubi et luculentam utriusque codicis auctoris ipsius notam ac testimonium attulimus. Illic etiam animadvertimus multo fusiorem in hoc nostro exhiberi, et cum veriori anni designatione. Una ergo superest exhibenda peculiaris alia amanuensis, quae priori illi subditur: » Descripsi et absolvi ego Ruben fil. R. Chaiim dictus Scoani librum istum Minchàd jehudà in urbe Massiliae, contigitque finis ejus feria vI die xxI mensis scebbat an. 5226 ».

Cod. 538

1.° Aristotelis *Libri de anima ejusque facultatibus*

cum *Comm.* ex arabico hebraice versi a R. Scem Tov fil. Isaaci.

2.° AVERROIS *Mozenè ahiunim, Bilances contemplationum,* memb. rabb. in 8.° sec. XIII vel init. XIV.

Primum opus ms. etiam extat in bibl. Edzardi, in Lipsiensi senatus, et in oratoriana Parisiensi, teste Wolfio T. I p. 1128, et III p. 1137. In mss. hisce codicibus, ut et in meo, deest omnino cognomen שפרוט *Spròt,* vel *Sciprùt,* diversusque omnino est noster ab auctore Even bòchen, ad quem eos retulit Wolfius. Quod et Wolfius ipse suspicatur posteriore loco. Conf. dicta ad cod. 347. Averrois autem esse comm. perperam conjicit in I volum., quum dissentiat a codicibus nostris, qui eum complectuntur. Marg. notae ostendunt ad alios codices collatum. Posterius opus מאזני העיונים, ineditum et ipsum et philosophicum, Averrois esse constat ex Oppenheimeri exemplari. V. ejus *Catalogum* fol. 11. Consentit enim adamussim cum nostro argumentum, quod catalogi editor constituit, monens eum esse » pretiosum libr. philosophicum, qui de Dei existentia et qualitatibus animae aliisque rebus praestantibus agat ». Quod Wolfius, qui codicem viderat, extricare non potuit, qui scribit T. III p. 16 quid libri sit, non liquere, oblitus eorum quae de eo Masius et de Masiano exemplari ipse scripserat T. II p. 1323.

COD. 539

PENTATEUCHUS ac PROPHETAE PRIORES, *Josue, Judices, Samuel, Reges,* memb. hisp. 4.° 2 col. sec. XV.

Nitidus. Initiales minores, in Gen. et Exodo adsunt puncta, in reliquis desunt. Perraram servat lectionem in *Schol. crit.* Jos. XVIII 21.

COD. 540

1.° NACHMANIDIS *Expositiones Pentateuchi gematricae ex ej. comm. decerptae.*

2.° Ejusdem *Mysteria precum cabbalistica.*

3.° *Dinìm,* seu *Constitutiones variae rituales.*

4.° R. BINIAMIN ROPHÈ fil. Abr. *XIV Sectiones rituales.*

5.° ANON. *Lexicon biblicum,* chart. rabb. in 4.° sec. XV.

De Biniamino fil. Abr. Rophè illud unum notat Wolfius T. III p. 148 eum in libro Tanià passim allegari. Ignotas has sectiones eidem esse tribuendas evincit nomen ipsum, quod illis praemittitur, et recensio, vel distinctio, quae eodem nomine fit, XIV sectionum. Eae reperiuntur etiam in cod. 61, et quidem sub eo nomine, ut ad eum observavimus. Hujus

ejusdem auctoris esse arbitror comm. in librum Odiòth, seu litterarum alphabeti, quem continet cod. Vatic. 291 inter Palatinos, memoratque *Catal.* T. I p. 269.

Cod. 541

1.° Anonymi *Medràs, seu Nimukìm, Commentarius* vel *Scholia in Pentateuchum*.

2.° Anon. *Medràs Scir ascirìm*, seu *Allegorica expositio Cantici canticorum*.

3.° Anon. *Medràs koelèth*, seu *Exposit. alleg. Ecclesiast.*

4.° Anon. *Medràs Ruth*, seu *Expositio libri Ruth*.

5.° Anon. *Medràs echà*, seu *Expositio Threnorum*.

6.° Anon. *Petirad mescè*, seu *De morte Mosis*.

7.° Anon. *Odod ammasciach*, seu *De signis adventus Messiae*.

8.° R. Nitronai *Quaesita*.

9.° *Ilcòth*, seu *Constitutiones tract. niddà*.

10.° R. Jose ben Chelpeta' *Sèder olàm*, seu *Chronologia mundi*.

11.° *Tractatus talmudicus Sopherìm*, seu *scribarum*.

12.° Ben Sira' *Alphabetum* cum *commentario*.

13.° Anon. *Sceminì ododàv*, *de Portentis numeri octavi*.

14.° Anon. *Scedè bedòlach*, *Agri bdellii*, vel *crystalli*, *liber kabbalae practicae*.

15.° *Excerpta ex tract. talm. Cheridùd et Becoròth*.

16.° *Libri Eliav zotà capita quaedam*.

17.° *Pirkè* R. *Eliezer bina capita* cum *aliis excerptis*.

18.° *Epistola* synagogae Limonisinae *De salute quam sibi operatus est Deus*, memb. rabb. 4.° sec. XIII vel in. XIV.

Incertus est auctor Medras illius, seu Comm. in Pent. qui primo occurrit, dicti ad calcem נימוקי חומש. Eum tamen esse seculi circiter XIII ac Jarchio posteriorem evincunt crebrae hujus expositiones ab eo allatae. Video etiam afferri comm. R. Mosis de Fonteysa nobis hucusque ignotissimum. Multo antiquiores sunt et ad vetustiorum Medrascìm aetatem amandandi, qui sequuntur Cantici cantic., Ecclesiastis, Ruth, et Threnorum. Nulla enim in iis recentiorum testimonia habent locum, sed sola veterum patrum ac rabbinorum catena et explanatio, eaque pro ejus aetatis studio plerumque allegorica. Breviores sunt editis, et cum iis collati toto caelo differunt, inediti ergo et ignoti; nec eam praeseferunt barbararum dictionum colluviem, quae in Rabbòth conspicitur. Nota ad calcem primi Medras, et ante Canticum dari numerum omnium litterarum Pent. a Saadia Gaòn diligentissime constitutum. Brevior etiam est e-

dito saepeque ab eo discrepans liber de morte Mosis, ab iis verbis incipiens » Dicit R. Chalbò, ea die, septima adar, usque ad obitum, Moses doctor noster tredecim v librorum legis exemplaria conscripsit, nec ad diei dimidium pertigerat. Postea vero singulas advocans tribus, dedit eis legem, ejusque custodiam singulis commendavit ». Omittit ergo multa fabulosa quae in edito hoc libro pseudepigrapho praecedunt.

Libelli de Messiae signis hic est integer titulus: סדרן של אותות שיבואו קודם ביאת משיח » Ordo signorum quae evenient ante Messiae adventum ». Nescio an idem sit cum eo, quem Parisiis in Colbertina servari sub num. 3991 notat Wolfius T. III p. 1175, nunc regio vel nationali Paris. 232, uterque vero num idem cum eo qui CPoli in variorum opusculorum collectione an. 1519 editus est, non 1524, ut perperam credidit Biscionius. V. *Annales* nostros *heb. typ.* 1501 ad 1540, ubi editionem hanc rarissimam ac Wolfio ignotam illustramus variosque bibliographorum errores emendamus. In bibl. nostra bini alii extant hujus argumenti libelli, unus quidem in cod. 1240 sub alio titulo אמירות לעתיד, sed cum nostro hoc plane consentiens, eo tamen plenior, insignique ad calcem additamento ditior, alter in cod. 1033 ejusdem fere cum nostro tituli, sed ab eo diversissimus, ut ad eundem codicem animadvertimus, proposito utriusque initio. Multa in hoc panduntur futilia ac fictitia signa utriusque Messiae adventum frustra expectatum praecessura, quibus misera gens solatium aliquod sibi suaeque credulitati quaerit, multa potissimum inter ismaelitas, syros, edomaeos, seu christianos, ac judaeos bella, illudque singulare omnino, nec praetereundum, quod post occisionem primi Messiae filii Josephi, agens auctor de Messia filio Davidis tum revelando, eum dicat a suis fore spernendum, idque confirmet ex celebri ea Isaiae prophetia, quam nos ad illud ipsum demonstrandum adversus judaeos urgemus, ipsi vero de natione sua ejusque angustiis et conditione obstinatissime exponunt. » Postea vero, inquit prope finem, Deus sanctus benedictus revelabit Messiam filium Davidis, qui israelitis occultatur. Quem quum ipsi viderint, quaerent eum lapidare, dicentes: Falsitatem loqueris, jam occisus est Messias, nullusque alius amplius existet, despi-

cientque illum, sicut dictum est (Isaiae LIII 3) contemptum et abjectissimum hominum ». Ita עומדים לסוקלו ut habet 1240, pro לסקלו לו, quod minus accurate legitur in nostro..

Nitronai quemdam, qui librum Tarsis cabbalisticum scripserit, memorant Hottingerus, Bartoloccius, Wolfius, sed incertum, an idem sit auctor. Noster idem sane est cum eo, cujus responsa ac quaesita alia quaedam a nostris his diversa leguntur in cod. 327. De Seder olam diximus ad cod. 80, ubi monuimus in nostri codicis titulo ac fine eum R. Jose certo assignari. Alphabetum ben Sirà idem est cum ejus libello morali a judaeis ac christianis multoties edito, et in varias linguas translato. Contra ineditum nec notum est quod sequitur opusculum שמיני אותותיו, idest ut statim in titulo ipso exponitur, *Portenta et opera octavi*, octavi videlicet numeri, ex sacris potissimum litteris et historiis deprompta, ut ineditum est nec notum aliud cabbalae practicae, quod inscribitur Agri bdellii, vel crystalli et gemmae. Constat utrumque sex foliis ac post excerpta quaedam tract. Cheridud ac Becoròth veniunt, nullo praeposito titulo vel distinctione, capita quaedam Eliav zotà et Pirkè R. Eliezer. Primi videlicet libri caput XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, ac XXV, Pirkè vero Eliezer cap. XL ac XLI, ab editis tamen paullulum discrepantia, quibus excerpta alia subjiciuntur vel collectanea moralia ex aliis libris petita, nobis incompertis nec memoratis, certo tàmen antiquis. Ac priora illa quidem esse libri Eliav zotà docet nos cod. 1240, in quo iterum occurrunt, ejus videlicet, qui Venetiis an. 1598 vulgatus est ac Pragae recusus, non alterius ej. tituli cod. nostri 327, quem ineditum esse et longe diversum ad eundem cod. observavimus. Inedita tandem est et ignota etiam epistola illa quae codicem claudit, synagogae Limonisinae de salute, quam sibi operatus est Deus, ab insigni nimirum calumnia ac gravissima persecutione anno 924 ab excidio templi ab exjudaeo quodam gallo, qui Sechok ben Esther dicebatur, illi intentata.

Cod. 542

R. Isaaci de Korbeil *Liber parvus praeceptorum* cum *scholiis*, membr. rabb. in 4.° an. 1384.

Adhibitum est saepe in init. dictionibus rubrum atramentum et viridis ornatus, ad calcem vero hanc librarius notam posuit: » Li-

brum hunc conscripsit Mardochaeus fil. Josephi de Eynbech, absolvitque illum anno 144 min. aerae ».

COD. 543

PENTATEUCHUS cum *Targum, V Meghillòth, Aphtaròth*, et *Commentario* Jarchì, membr. germ. in fol. 3 voll. in. sec. XIII.

Incipit Gen. I 30. Pretiosus codex, scriptus a Meir fil. Aaron, multis egregiis variationibus conspicuus, in quibusdam in clavi codicum indicatis unicus, quibus addendae Deut. XXXII 43, Isai. XLI 14, Ezech. XLV 19, Eccle. I 16, fere unicus Isai. XI 10, LXVI 15, rarissimus Zach. XIV 5.

COD. 544

ANONYMI *Comp. talmudicum*, membr. rabb. in fol. 2 col. sec. XIV.

Talmudici tractatus, quorum summa hic exhibetur, sunt triginta, quorum index primo fol. occurrit. Incipit a Cheduvòth et desinit ad Maccòth.

COD. 545

PROPHETAE PRIORES ac POSTERIORES, seu *Josue, Judices, Samuel, Reges, Isaias, Jeremias, Ezechiel, XII Minores* cum *utraque Masora*, membr. germ. in fol. 2 col. seculi XIII.

Incipit Jos. X 15. Sub finem Regum, ac Malachiae legitur librarii nomen Isaaci. Multae eminent egregiae ac perrarae diversae lectiones. Unicus Jud. I 38, II Sam. XVII 23, I Reg. IX 18, X 24, XI 23, II Reg. XIX 9, Ezech. VIII 4, XXVI 2, XXVII 21, et 23, Oseae X 15, Joel IV 13, Nahum III 7, Habac. I 8, quasi unicus Isai. XLI 19, Jer. LII 3, Zach. VI 5, XI 5, rar. Isai. LIII 9, Jerem. XXVIII 22 et 23, Ezech. XX 15. In eo Oseae loco unicus est qui consentiat cum frag. Oseae XV sec. edito.

COD. 546

THRENI JEREMIAE cum *Tochechà* Sal. Katon, chart. rabb. 4.° min. sec. XV.

COD. 547

APHTARÒTH seu *proph. Sectiones*, et V MEGHILLÒTH seu *Esther, Canticum, Ruth, Ecclesiastes, Threni*, memb. germ. 4.° sec. XIV.

Hoc eodem ordine, in mss. singularissimo, procedunt V volumina. Initiales majores saepeque auro varioque colore elaboratae et ornatae. Sub finem Aphtaròth legitur *Roboretur Ariè*, cap. autem IV Eccle. bis Menachemi nomen rubro char. expressum est ad indicandum amanuensis nomen. Rariorem lectionem suppeditat Jer. VIII 14.

Cod. 548

Prophetae posteriores, seu *Isaias, Ezechiel, Jeremias, xiI Minores*, cum *utraque Masora*, memb. hisp. 4.° 2 col. sub fin. sec. xiiI.

Incipit Isai. xxx 25 et desinit Malach. iiI 1. Initiales minores, ac librorum ordo, quo Isaiam excipit Ezechiel, plane singularis. Unicus vel quasi unicus Is. lix 12, Oseae viI 5, rarus Ezech. xxxiI 23.

Cod. 549

Pentateuchus cum *Targum alternis versibus*, memb. germ. 8.° 2 col. in. sec. xiiI.

Incipit Gen. I 24. Initiales majores, masora nulla, nullum kerì, nulla versuum summa. Paullo ante sect. ויקהל memoratur qui puncta adjecit, Abr. Levi, postrema vero pag. occurrit ordo parascarum dierum festorum. Unicus est Gen. x 12.

Cod. 550

Daniel, memb. germ. 4.° min. sec. xiv.

Sine punctis praeter cap. I, alternis scriptus lineis, cum initial. plerumque rubris, ac desinens cap. x 6.

Cod. 551

Psalterium cum *Comm. Jarchì*, membr. germ. in 4.° min. sec. xiiI.

Bonae notae codex, alternis et ipse lineis exaratus, qui incipit Psal. xxxiv 10. Binas rariores ejus lectiones vide Psal. xliiI 1, et cxix 28.

Cod. 552

Proverbia, Job, Paralipomena, membr. hisp. in 4.° seculi xiI.

Vetustissimus, incipiens Prov. iI 2, et desinens iI Paral. xviiI. Nullae majusculae, nulla masora, kerì rarissimum. Ad marg. posteriori manu additus est in binos priores libros comm. anonymus, sed evanidus, detritus obque recisum marginem mutilus. Sub finem Jobi suum scriba nomen descripsit: » Benedictus qui dedit virtutem Abrahamo, benedictus qui dat lasso virtutem, eique, cui vires desunt, robur addit, Obadias fil. Amathiae ». Unicus Job vI 21, xx 28, xxxI 15, rarissimus I Paral. I 30 et viI 23.

Cod. 553

Psalmi, Proverbia, Job, memb. hisp. 16. in. sec. xiv.

Unicus in *Scholiis crit.* Psal. cix 4.

Cod. 554

Biblia, membr. germ. fol. min. vel 4. maj. 3 voll. 2 col. sec. xiiI.

Sed sub initium ac finem recentiori charactere Patavii

suppletus anno 1548, ut legitur ad calcem: » Roboravit confirmavitque se scriba Moses fil. Israel. Absolutus sub init. mensis tamuz an. 308 min. supp. hic Patavii ». Initiales litterae majores, libri poetici alternis lineis divisi, masora nulla, rarum keri, frequentes variae lectiones, in quibusdam unicus, ut Exod. iI 20, ix 23, iI Sam. viI 23, Jerem iI 21, xlix 16, Ezech. xlviiI 12, Amos iv 3, Isai. xviI 9, Mich. I 11, Psal. xvI 2, xviiI 46, xxI 3, Prov. viI 17 et 19, xxiv 12, Job xx 25, Cant. iI 17, in aliis fere unicus ut iI Reg. ix 4, Jerem. x 3, Sophon. I 17, Ezech. xlv 21, Oseae iI 14, Micheae iI 6, Zach. xiI 5, Psal. xxxiv 21, cxxiI 1, Job xxx 10, xxxiI 10, Thren. iv 16, in aliis denique unus e paucis, ut Exod. viI 28, Jud. vI 15, Habac. iiI 16, Psal. lxxviI 3, ciI 7, cviiI 2, Job xI 17, xvI 21, xxxv 14, Prov. xv 14, iI Paral. xxxI 13.

Cod. 555

Leviticus et Numeri cum *Targum alternis versibus*, et *Aphtaroth eorumdem librorum*, memb. germ. 12. maj. sec. xiiI.

Extat etiam Targum in nonnullas aphtaròth. Incipit Lev. vI 10, nulla masora, nullae majores initiales, kerì rarissimum, tria postrema folia recentiori manu suppleta, ad quorum calcem reperitur nota an. 1432. Unus e duobus cod. qui Lev. xxv 35 cum Samar. textu ac lxx congruunt in additamento integri verbi.

Cod. 556

1.° R. Mardochaei Comtino *Commentarius in* Aben Ezrae *Jesòd morà*.

2.° Ej. *Commentarius* in Aben Ezrae *Librum ascèm* seu *de nomine*.

3.° Ej. *Comm.* in Aben Ezrae *Librum ahechàd*, seu *de unitate*.

4.° Ej. *Comm. libri* Maimonidis *De vocabulis logicis*.

5.° Anon. *Logica*, seu *ea logicae pars*, *quae agit de syllogismo*, chart. rabb. in 4.° sub fin. sec. xv.

Omnia inedita. Sub initium codicis vetustus quidam possessor monuit tradi in libro *Novelòth chochmà* fol. 56 Mardochaeum nostrum karaeorum sectae fuisse addictum. Quod falsum esse ex traditionum potissimum studio, quod ipse prodit, jamdudum plures ex nostris scriptoribus animadverterunt, Schupartus, Simonius, Frey, Basnagius, Wolfius. In ejus cognomine efferendo a multis variisque modis peccatum esse jam supra a nobis observatum est ad cod. 314. In nostro hoc

recte ubique dicitur Comtino, et quidem in fronte primi operis CPolitanus, etsi Adrianopoli moraretur. Primus comm. in aliis bibliothecis extat. Comm. de terminis logicis adest etiam in Leidensi, teste Wolfio T. III p. 718. De duobus aliis intermediis nulla apud eum mentio. Sub fin. IV: » Roboretur et confirmetur scriba abba Marì Chelpan gallus ».

COD. 557

1.° R. MOSIS MAIMONIDIS *Morè nevochìm, Doctor perplexorum* ex versione R. Sam. aben Tibbòn.

2.° R. JEHUDAE CHARIZII *Praefatio*, vel *Argumenta capitum libri Morè*.

3.° R. SAM. ABEN TIBBÒN *Expositio vocum peregrinarum et difficilium libri Morè*.

4.° R. JEH. CHARIZII *Index locorum bibl., quae in libro Morè producuntur et explanantur*, membr. rabb. in 4.° 2 col. sec. XIV.

In nitidissimo hoc codice praecedit praef. Jeh. Charizi, in qua libri sectiones et argumenta capitum exponuntur, ex ejus versione retenta, quae prae alia Tibbonidis minus se probavit judaeis. Sequitur Morè, ad cujus calc. haec Tibbonides posteritati commendavit: » Complevi versionem tractatus hujus mense tebeth an. 4965 a creatione, ego Samuel fil. Tibbon, laus Deo viventi, qui me adjuvit hucusque ». Versio itaque incidit sub fin. an. 1204, vel init. 1205. Similem inscriptionem habent ex meis alii quidam, ex exteris vero bini Taurinenses, ex quibus Wolfius, qui eos producit T. IV p. 918, emendare poterat, quae de codice Hinckelmanni ms. *Catalogus* notat, a se relata T. I p. 859, ubi annus versionis cum anno descriptionis confunditur. Excipit librum Morè Tibbonidis expositio vocum peregrinarum et obscuriorum hujus libri, quae et in aliis plerisque nostris codicibus conspicitur, et editionibus nonnullis. Sed in hoc codice illud habet singulare, quod in fine auctoris epigraphem continet, et locum, mensem, annum designat operis absoluti. » Composui hanc sectionem in medio navis super porto Adar, ad Alkalbiam quatuor milliaribus et ad Tunisim die una et dimidia (distante), quum venirem ex Alexandria mense tamuz anno 973 a creatione. Reducat nos Deus cum comitatu nostro in pace ad urbem nostram et domos nostras, amen. Salus accelleret. Fiat fiat ». Ignota haec hucusque bibliographis, nec in ullo ex tot codicibus ab iis memoratis reperta. Indicem locorum bi-

blicorum Jehudam Charizi auctorem habere, ex Vatic. cod. 292 monuimus ad cod. 514. Quod et in Wolfio ad hunc auct. supplendum est.

Cod. 558

R. Aaron de domo Levi Barcinonensis *Liber chinùch*, seu *Expositio praeceptorum legis*, membr. rabbin. in fol. sec. xv.

» Completumque est omne opus ministerii sancti libri chinùch, laus Deo vivo et benedicto per manum ... fil. r. Sal. Rophè, scripsique illum hic Modiliani in grat. r... fil. Danielis ». In exponendis praeceptis sequitur auctor sacrorum librorum ordinem, et auctoritatem potissimum Alphesii, Maimonidis, Nachmanidis. In praef. is appellat se virum judaeum de domo Levi Barcinonensem, tum in nostro hoc codice, tum in duobus aliis, 741, 928, tum in editionibus, sed proprium ejus nomen erat Aaron, ut ex Sabtaeo, ac Bartoloccio, seu ex fide ms. Vaticani ab eo producti monet Wolf. t. I p. 123.

Cod. 559

Job cum *Commentario* Gersonidis, chart. rabb. 4.° sub fin. sec. xiv vel in. xv.

Sine punctis, nonnullis exceptis capitibus. Incipit Job vI 18, et desinit xl 5.

Cod. 560

Prophetae posteriores, seu *Isaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, ac *xII Minores*, membran. hisp. in 4.° sec. xiiI.

Luculentus et accuratissimus, sed sub init. mutilus ad Isai. xxv 12. Dolendum plura folia in imo margine fuisse recisa. Raram exhibet lectionem Mich. v 3, et in *Scholiis crit.* Isai. xxxiiI 3. Unicus ib. Jerem. xlviiI 31.

Cod. 561

1.° Siddur seu *Ordo precum totius anni* cum *Psalmis* occurrentibus.

2.° *Agadà paschatis*.

3.° *Pirkè avoth*, seu *Capitula patrum*.

4.° *Psalmi*, *Proverbia*, *Job*, et *v Meghilloth* seu *Cant.*, *Ruth*, *Threni*, *Eccle.* et *Esth.*

5.° r. Sal. Gaviròl *Chèder malcùd*.

6.° *Benedictio circumcisionis*, *redemptio filii*, *ordo sponsorum* aliique ritus, membr rabb. 16. an. 1504.

Sacri libri extant ad marg. charactere rabb. cum punctis. Sub finem: » Ego Simson fil. r. Eliae Chelpàn gallus scripsi hunc ordinem cum omnibus adnexis, punctisque eum instruxi. Feci autem illum ad mei usum, absolutusque est die xI marchesvan an. 265 ». Perrara codicis lectio occurrit Jobi xlI 11.

COD. 562

PENTATEUCHUS cum *Targum*, *V Meghillòth*, *Aphtaroth* et *Comm.* Jarchì, membran. in 4.° an. 1411.

Charactere italico, paullulum vergente ad germ., quoad textum ac targum, rabbinico quoad commentarium. Elegans codex, ad cujus calcem haec extat epigraphe: » Roboratus et confirmatus est scriba, damno non afficiatur, nec hodie, nec in seculum, donec ascendat asinus scalam, ego Isaac Coèn ». Supra vero in exiguo spatio intermedio flaviori charactere dicitur » Completa designatio punctorum init. mensis ijar an. 171 sexti millenarii ». Quasdam in eo delitescere singulares rarasque lectiones, selectis exemplis in clavi ostendimus.

COD. 563

1.° MAR SCEMUEL *Agadà* seu *Medràs samuel*, idest *allegorica Expositio librorum Samuelis*.

2.° R. SAADIAE *Tikkùn*, seu *Constitutio*.

3.° ANON. *Comm. libri Jetzirà*, vel *X sephiròth*.

4.° R. ELIEZER FIL. JOEL Levitae Hierosolym. *Comm. de instrumentis dotalibus*.

5.° ABBA' GORIÒN, *Medràs* seu *antiqua Expositio libri Esther*.

6.° *Precationes metricae et alphabeticae ad Deum*.

7.° *Historia bar Josuae fil. Levi*.

8.° *Capita Gan hèden*, seu de *Paradiso*, et *de gehenna*.

9.° *Epistola* synagogae urbis Belleys in Gallia.

10.° *Judicium de homine poenis affecto ob bonum consilium*.

11.° *Historia unius ex discipulis* R. Akibae.

12.° R. SAADIAE *Goralòth* seu *Sortes*.

13.° R. AKIBAE fil. Josephi *De taghìn*, vel *coronulis litterarum*.

14.° *Signa pluviae totius anni* et *ordo tonitruum*.

15.° *Scimùs*, vel *Usus Pent.*

16.° *Cyclus* et *calendarium judaicum*.

17.° R. ELEAZARIS DE GARMIZA *Ilcòth tescuvà*, seu *Constitutiones poenitentiae*.

18.° R. SAMUEL BAR SIMSON *Itinerarium Palestinae*, seu *de patrum sepulchris*.

19.° *Sermo brevis de circumcisione*.

20.° VETERUM *Gesta* et *visiones nonnullae*.

21.° *Seder*, *Ordo arakìm*.

22.° *Historia* R. *Amnon de Moguntia*.

23.° *Historia persecutionis judaeorum* tempore Roberti regis Galliae.

24.° *Historiae* R. *Meir*, item cujusdam R. Akibae, et discipuli R. Akibae.

25.° *Medràs jonà*, seu *allegorica Expositio Jonae*.

26.° *Historia 3 filiorum diebus Salomonis*.

27.° *Dissertatio de formatione foetus*.

28.° *Historia cujusdam seburaei*.

29.° *Decretum contra judaeos et factum* sub R. Simeone ben Jochai.

30.° *Historia* bar R. Akiba.

31.° R. ELIEZER *Pirkè* seu *Capitula*.

32.° R. JEDAJAE APPENINÌ seu SAL. GAVIRÒL *Mivchàr appeninìm*, seu *Delectus margaritarum*.

33.° R. JACOB TAM fil. Meir *Carmen de punctatione*.

34.° R. ELIAB FIL. MATATIAE *Carmen de intercalatione*, membr. rabb. in 4.° sub fin. sec. XIII vel in. XIV.

In horum numero multa inedita nec hucusque comperta, quae augent codicis pretium. Medràs scemuel, quod primo loco occurrit, cum CPol. editione an. 1517, quae ad manus extat, collatum, cum ea congruit, paucis exceptis ad varias codicum lectiones referendis. Nihil de ea editione Wolfius, nec non de novo titulo Agadae mar scemel, quo in nostro codice insignitur. Nihil de inedito quod sequitur, Saadiae tikkun, seu constitutione, quae duobus fusis carminibus continetur. Primum inscribitur saharè dinè mamonòth, sectiones de juribus pecuniariis alterum saharè sevuhòth, sectiones de juramentis. Ad calcem: » Expliciunt sectiones R. Saadiae Gaon de juribus, vel judiciis pecuniarum et animarum, vel personalibus rythmo et metro expositae ». Incerti auctoris ineditusque est perbrevis comm. de x sephiroth n.° 3 expressus, ineditus seu ex inedito libro Avì hozerì R. Eliezeris ben Joèl Levitae decerptus comm. alter, qui illum excipit de instrumentis dotalibus. Ejus autem auctorem Hierosolymitanum esse nunc primum ex nostro codice discimus. Ineditum, ignotum, diversum a communi Medràs esther, Medràs illud abbà Gorion, sic ut videtur, appellatum, quia incipit *Abba Gorion dicit*. Quod idem dicendum non modo de rythmicis precationibus, quae ordine succedunt, sed et de plerisque historiis et opusculis hoc codice contentis, etsi quod ad historias pertinet, videantur earum antiquiores ex Agadòth talmudicis desumptae. Historia tamen Amnon Moguntini est narratio illa de ejus caede, quam notat Wolfius T. I p. 201 a Bartoloccio ex comm. Machazòr Bononiensis repeti et confutari. Eam sane profert Jochanan,

Treves in comm. precum, quem in illud Machazor addidit, ad ej. Amnonis kedoscà quae in festo novi anni recitatur, ex quo non modo Bartoloccius hausit, sed et Jachias in *Scalscèled* fol. 57. Testatur autem hujus comm. auctor descriptam fuisse de verbo ad verbum in vetusto Machazòr ex autographo Isaaci de Vienna, quod et ex autographo alio Ephraim de Vienna fil. Jacobi fuerat depromptum. Ac cum Bononiensi hoc exemplari nostrum collatione facta, congruit, paucis exceptis, in quibus nostrum paullo plenius conspicitur. Sed auctor *Scalscèled* dum nonnulla omittit audacter dicta, quae sibi in Italia et in ditione ipsa pontificia degenti offensionem creare potuissent, alia audacter ipse mutat et extollit, ut virum magnifaciat in sua et suorum opinione sanctum et martyrem. De kedosca ipsa conf. dicta ad cod. 332. Porro epistola illa synagogae urbis Belleys in Gallia, quam num. 9 sistit, seu qui eam synagogae nomine scripsit Obadias fil. R. Machir, narrat plures in ea urbe judaeos, viros et foeminas, senes, vetulas, juvenes, virgines fuisse ob religionem combustos feria IV die 20 sivan an. 4931 a condito orbe, ab excidio vero templi II an. 1103. De Saadiae Goralòth, seu libello sortium agit Wolfius T. III p. 861, sed nostri hujus initium ab eo discrepat. Nostri titulus est. » Hae sunt sortes R. Saadiae Gaon, memoria justi sit in benedictione », initium autem: » O creator mundi ostende mihi signum veritatis, ut veritatis portentum ego eloquar. Hoc est quod ego peto et exquiro a te hac vice ». Vetustum porro est Samuelis bar Simson itinerarium Palestinae, (n.° 18) an. 4970 ab eo susceptum, aerae nostrae 1210, cujus potissimum institutum est quae illic extant ipseque vidit, veterum patrum sepulchra enarrare. Nulla sive libelli sive auctoris in Wolfio vestigia. Quae vero sub n.° 23 describitur judaeorum persecutio sub Roberto Galliae rege, ea contigisse dicitur anno mundi 4767, Ch. 1007. Ad eorum classem, quae non modo inedita, sed et ignotissima sunt, amandandum est Medràs Jonae, quod sub n.° 25 retulimus. Nulla namque ejus mentio fit sive in Wolfio, sive in ceteris bibliographis, qui praesto nobis sunt, nec in recentioribus ipsis judaeorum, Jechiele et Azulai, qui singulos medrascìm, hucusque notos, accurate recensuerunt. Nulla etiam apud eos mentio carminis de punctatione rab-

benu Tam, quamvis auctor sit celeberrimus, nulla denique Eliabi ben Matathiae, ejusque poematis de anni intercal., quo codex clauditur.

Cod. 564

1.° Siddùr seu *Ordo precum totius anni* cum *Psalmis* occurr. et *Cantico Exodi*.

2.° Psalterium integrum ad marg., membr. rabb. 12. sec. XIII.

Habet psalmorum titulos rubro colore designatos, in agadà vero paschatis initiales dictiones aureas et ornatas.

Cod. 565

1.° Hippocratis *Liber* מקדמת הידיעה *Anticipatio notionis*, seu *De prognosticis* a Chonain ben Isaac hebraice versus.

2.° Anon. *Comm. in* Avicennae *Canonem*, chart. rabbin in 4.° sec XIV.

Praemittitur titulus: » Hic liber appellatur Anticipatio notionis Hippocratis, quem vertit Chonan ben Isaac, et dicitur lingua eorum Prognostica » Quae et ad libri calcem repetuntur. Extat etiam in bibl. Leidensi, teste Wolfio T. III p. 87 cum comm. Galeni.

Cod. 566

R. Eliezer *Pirkè* seu *Capita*, chart. rabb. 4.° an 1542.

Ad cal. » Exeunte mense junio an. 302 absolutum opus horum capitum R. Eliezeris per man. Albeldae abbà Marì fil. Mosis de Arimino ».

Cod. 567

Kenon R. Simson fil. Isaaci *Liber cheridùd*, vel *foederis*, chart. rabb. 4.° an. 1444.

Est introductio ad studium talmudicum CPoli edita an. 1515. Epigraphe: » Ego Matathias fil. R. Gerson absolvi hunc librum an. 204 min. supp. mense adar ».

Cod. 568

Abu Ali ben Alchassen ben Aleitam *Tractatus de astronomia* hebraice versus a Jacobo ben Machir, bomb. rabbin. in 4.° sec. XIV.

» Finita est versio hujus libri. Transtulit autem eum sapiens R. Jacob fil. R. Machir ex lingua arabica in hebr., absolutaque est libri translatio feria VI die XIII mensis ellul an. 31 sexti millenarii », videlicet anno Ch. 1271. Haec ad calcem. Sub in. vero cod. pag. versa habetur testimonium cujusdam Meir de Salves venditi hujus codicis die XVI mensis marchesvan an. 191, Ch. 1430. Notat Wolfius T. I pag. 8 reperiri etiam in Vaticana, et Vindobonensi ex versione R. Salomonis Rophè, sed pro *Albeitam* corrige in eo *Alheitam*. De Vatic. codice vide *Catal.* sub n.° 399 p. 374, de

Vindobonensi Lambecium T. I p. 177. Sub Jacobo ben Machir silet ubique Wolfius de nostra hac versione, contra constantissime ei tribuit tractatum de astronomia, ut extantem in Vaticana, in Parisiensi Oratoriana et Taurinensi, quem suspicari jam licet forte a nostro hoc opere non esse diversum, eique ut interpreti, non ut auctori vindicandum.

COD. 569

R. PERIPOTH DURAN *Commentarius in* Maimonidis *Morè nevochìm*, chart. rabb. in 4.° min. an. 1476.

Extat in edit. Veneta ac Sabion. hujus libri. Ad calcem: » Absolutus est liber, praebens eloquia elegantiae, dextera manu Mosis filii Mosis Bathosae, finisque ejus contigit in diem XVII mensis scebat an. 5236 ».

COD. 570

1.° SIDDUR seu *Ordo precum* cum *Psalmis* occurr.

2.° PSALTERIUM integrum ad marg. membr. rabb. 12. sec. XV.

Praecedit calendarium, et usus psalmorum. Psalmi habent puncta et titulos rubro char. exaratos, in forma vero repudii quae ad calcem subjicitur, notatur » an. 5241 a creatione (Ch. 1481) juxta supp. qua utimur hic in urbe Notos seu Neti, quae est in insula Siciliae ». Diversa est in hoc codice imprecatio Bircàd aminìm.

COD. 571

1.° R. ISAACI DE KORBEIL *Liber parvus praeceptorum*.

2.° R. ISAACI DURENSIS *liber Saharè durà*.

3.° R. SIMEONIS FILII TZADOK *liber Tasbètz*.

4.° ANON. *Typi contractuum*

5.° R. JEDAJAE BADRESCITAE seu R. SAL. GAVIRÒL *Mivchar appeninìm* cum anonymi *comm. Saharè midòth*.

6.° R. GERSON *Takkanoth* seu *Constitutiones*, membr. germ. in fol. min. 2 col. 1337.

Libro Samàk praemissa est epistola in hujus libri commendationem ad gallicas synagogas missa, quam in aliis codicibus reperiri, et in editione CPol. observavimus ad cod. 87. Ad calcem dicitur ea conceptis verbis ex autographo ipso auctoris descripta, deinde subjicitur. » Hoc vero scripsit R. Salomon fil. Sal. fel. m.. Etiam in Germaniam epistolam hanc miserunt, ut confirmaretur, sed ob iniquitates nostras mitti non potuit ad haec regna, vel provincias, quia evocatus est ad supremam academiam feria II sect. bamidbar die XXVIII mensis ijar an. 40 min. supp. ». Notam hanc gravissimam annumque emortua-

lem repetit CPol. editio, nisi quod codex ms. plenior addat dici hoc ex Salomonis illius testimonio. Confirmat eandem notam et annum, verbis paullo diversis, codex Taurinensis a Wolfio allatus T. IV p. 881: » Ecce ob nostra peccata vir magnus perficere nequivit librum, cujus argumentum erat supremum studium die 2 hebd. 28 ijar A. C. 5040 ». Quam epigraphem a Bencinio fuisse male intellectam ac versam, et ad nostram esse emendandam vix est, ut moneam. Prodit enim in verbis, quae aeram praecedunt, sensum vel plane nullum, vel falsissimum, eamque accuratius redditam ac cum nostra congruentem profert Pasinius T. I *Catal.* ad cod 61. Plura ergo habemus, eaque invicta testimonia, quibus manifestissimi erroris revincantur, quae de auctoris nostri obitu tradunt bini praecipui ac doctiores judaeorum chronologi. Testatur enim Jachias in *Scalscèled* fol. 58 b eum obiisse an. 5000, Ch. 1240, Zacutus vero in *Juchasìn* fol. 133 anno 5030, Chr. 1270. In Wolfio T. I p. 659 typ. hic mendum emenda 5033. Zacutum sequitur Azulai P. I *Scem aghedolìm* fol. 67 b. Annus ipse, quo Isaacus librum absolvit, utramque hanc aeram apertissime damnat. Docet namque cod. meus 803 eum composuisse an. min. supp. 37, Ch. 1277. Librum Tasbètz Simeoni filio Tzadòk esse tribuendum supra observatum est ad cod. 392, ubi et tituli sigla ex indubia hujus codicis auctoritate et fide contra aliter sentientes evolvitur. Cel. Jedajae Badrescitae, seu potius Sal. Gavirol liber moralis pluries hic non Mivchar, sed Muvchar mippenìm, novo sane ac singulari titulo, quasi dicas electior vel charior margaritis, vel ex margaritis delectus, inscribitur, quique eum comitatur anon. commentarius idem est cum eo, qui Soncini primum editus an. 1484, multoties deinde recusus est. Is, quod singulare est, nec aliunde notum, in nostro hoc codice inscribitur Saharè midòth, seu portae virtutum, saepeque ab edito discrepat. Ad calcem haec librarii verba leguntur: » Ego Aaron filius chavèr R. Aaron scripsi hunc librum in gratiam R. Sal. fil. R. Jom Tov Coèn, videlicet Praecepta, Instrumenta, Muvchàr, Tasbètz et Sahar, finemque ei imposui die I mensis IV an. 98 min. supp. ».

COD. 572

PSALTERIUM, memb. germ. in 8. sec. XIII.

Incipit Psal. xxvii 4 et explicit cxix 151. Initiales majores alternisque conscriptus lineis. Fere unicus Ps. xxxv 7 et cxvi 1.

COD. 573

PROVERBIA cum *Commentario* R. Immanuel fil. Salomonis, et anonymi *Expositione de vacca rufa, et vino a sex primis diebus creationis servato*, memb. in fol. 2 col. an. 1342.

Rabb. formae textus uterque, sed sacer cum punctis et accentibus, et in hemistichia distributus. Ad marg. variae identidem lectiones, notae, scholia reperiuntur ex aliis scriptis collecta a quodam Jekuthiele, qui et suas passim expositiones immiscet. Inter ea saepe excerpta occurrunt Kimchii, Josephi, opinor, vel Mosis, qui Proverbia illustrarunt. Nam Davidis nullus extat in Prov. commentarius praeter ea loca quae in libro radicum explanantur. Ad calcem quaedam subjiciuntur expositiones, potissimum vaccae rufae, et vini in uvis servatia sex diebus creationis, cujus allegoriam et mysterium anonymus auctor explicat. Postremo folio haec leguntur. » Ego Salomon scriba fil. Josephi calamo exaravi hunc Prov. comm. cum sacro textu in gratiam cl. praeceptorum meorum, R. Mosis, et R. Jehudae fil. R. Sabtai, absolvique illum die xi mens. chislev an. 5103 ab O. C. Scripsi porro eum hic Asculi, quod extat super flumine Fronti ». In edita nostra Var. Lectionum collatione fere unicus Prov. xxi 8.

COD. 574

JOB cum inedito *Commentario* R. Immanuel filii Salomonis, membr. in fol. 2 col. sec. xv.

De auctore et opere diximus ad cod. 58. Uterque textus charactere exaratus est rabbinico, sed sacer cum punctis, qui et hoc habet singulare, quod in hemistichia ac metrice dividitur, servatque cap. xiv 10 variam lectionem in edita collatione unicam.

COD. 575

PROPHETAE PRIORES ac POSTERIORES, seu *Josue, Judices, Libri Sam. ac Regum, Isaias, Jeremias, Ezech., xii Minores* cum *Masora*, memb. hisp. in 4.° 2 col. sec. xiv.

Praecedit index sectionum legis ac proph., primoque folio habetur nota venditionis an. 158, Chr. 1398. Ad calcem ex manu ipsius scribae: » Hi Prophetae priores ac posteriores pertinent ad R. Joseph fil. R. Samuel fil. R. Ismael, dictum Altartosci Hispalensem ». Nitidus codex

et accurate descriptus, unicus I Sam. xxvII 10, Isai. I 12, Joel I 7, fere unic. II Reg. xv 28, Isai. xxI 16, rarus Isai. LxI 8, Lxv I, Ezech. III 15, et Oseae xI 3.

COD. 576

BIBLIA cum *utraque Masora*, membr. hisp. 4.° 2 col. ex. sec. xiv vel init. xv.

Nitidus et elegans, in quo praecedunt variae lectiones ben Ascer et ben Naphtali totidem tabulis dispositae, summaque versuum singulorum librorum circumornatae. Litterae initiales minores, excepta Genesi, quae incipit a beth aureo varioque colore nobilitato. Quamvis porro codex ad masorethicum diligentissime sit expressus, suas tamen interdum prodit discrepantias, ac Jerem. quidem v 7 fere unicus is est in tuenda varia lectione cel. Michaelis praesidio suffulta. Adde Jerem. iI 31, et iI Par. xxxI 13.

COD. 577

R. IMMANUEL FIL. SAL. *Commentarius in Canticum canticorum*, chart. rabb. in 4.° sub fin. sec. xv vel init. xvI.

Ineditus ac perrarus commentarius, quem in bibl. ducis ab Altemps servari notat Bartoloccius, in eo tamen errans quammaxime, quod auctorem diversum putet ab eo, qui Mechabberòth, seu poeticas compositiones et commentarium in Proverbia edidit. Quamvis porro Wolfio verisimile videatur T. I p. 951 unum esse eundemque, nullum tamen locum inter cetera Immanuelis scripta nostro huic commentario dedit, ratus nonnisi ab iis posse rem dirimi, qui mss. ipsos codices possunt inspicere. Recentius hujus commentarii exemplar ex eo ducis ab Altemps, quod Romae adservabatur, a Paulo Eustachio an. 1592 descriptum, extat etiam in Vaticana inter codices Palatinos n. 85. Vide ej. *Catal.* T. I p. 61. Extat etiam in bibl. collegii Romani. Lapsum, in quem deinde cecidit Wolfius T. III p. 882 mendum sequens Neap. Prov. editionis, alibi observavimus. Illud unum hic monemus perperam ab eo conjici praeter Immanuelis comm. in Proverbia forte etiam alios nonnullos in ea editione contentos eidem auctori esse vindicandos.

COD. 578

1.° ANONYMI *Tikkùn sophe-rìm, Constitutio scribarum*.

2.° MAIMONIDIS *Constitutiones libri legis*, memb. ital. in 4.° sec. xv.

Sed Maimonidis constitutiones chartaceae sunt, ac rabb. charactere exaratae. Ejus autem esse ex collatio-

ne constat, quamvis nonnulla de conficiendo atramento praeponantur, aliaque subjiciantur masoretici argumenti, quae ad eas non pertinent. Inter haec accuratus numerus non modo versuum, sed et litterarum, quae quolibet Pent. libro continentur. Priori autem opere traduntur plena omnia ac defectiva, sectiones apertae ac clausae, litterae majores, minores, suspensae, inversae, contortae, ornatae, aliaque ejusmodi, quae in describendis sacris voluminibus debent a scribis observari.

Cod. 579

Biblia cum *utraque Masora,* memb. ital. 12. sub fin. sec. XIV vel init. XV.

Est Kenn. 570 male ab eo relatus ad initium sec. XIII. Initiales litterae minores, solo excepto voc. berescith, in Agiographis servatur ordo germanicus, psalmi alternis lineis dividuntur, sub finem vero subjiciuntur variae lectiones ben Ascer et ben Naphtali. Inter pretiosiores autem supellectilis nostrae codices collocandus, non tam ob eximias, perraras, singulares varias sacri textus lectiones, quas in edita collatione suppeditat, quam ob certa quae extant, indicia eum esse autographum ac tipum antiquissimarum editionum Soncinensium, praesertim primariae priorum ac posteriorum Prophetar. an. 1485 et 1486. Unicas servat lectiones Jud. 21 8, I Sam. VI 6, X 20, II Sam. XXI 19, XXIII 3, I Reg. VI 19, X 6, XI 10, XI 12, XII 20, XIII 14, XIV 26, Isai. XVII 9, XXIX 22, Jerem. XLIX 4, Ezech. XXIV 9, Oseae XIII 2, Amos V 3, Job XXXIV 31, fere unicas Isai. XXXIX 2, Job XXXVIII 9, rarissimas Jos. XVIII 21, II Reg. XXIV 10, Oseae IX 9, X 4, Psal. LXXIII 7, II Paral. XXII 10, XXV 1. In plerisque autem his unicis ac singularibus lectionibus mire is consentit cum principibus illis editionibus, adeo ut dubium non sit, quin eum pro exemplari Soncinates assumpserint, saltem editionis utriusque Prophetarum, nam Bibliorum consensus ex Prophetis ipsis repeti potest, qui antea prodierant. Frequentem hunc consensum ad I Reg. VI 19 jam animadvertimus, et ad hunc codicem Jerem. XLIX 4 Kennicottus ipse observaverat, ubi solus ex collatis omnibus codicibus vetustorum interpretum ac trium primariarum editionum lectionem tuetur. Quod si in quibusdam accedit Kennic. 253, quum is ex Bibliis ipsis Soncinensibus haustus sit, quibus est posterior, ejus consensus non est attendendus.

Cod. 580

1.° R. Sal. ben Gaviròl *Chèder malcùd, Corona regni*.

2.° Anon. *Carmen sacrum*.

3.° *Pirkè avoth*, seu *Capitula patrum*, membr. ital. in 16. in. sec. xv.

Cod. 581

Seder tefilòth, seu *Lib. precum* cum var. *Psalmis*, membr. rabbin. 16. vel 32. seculi xiv.

Inter eas occurrit et oratio quaedam unitatis Dei Mosis fil. Jeh. fil. Biniamini hispani, auctoris ignoti.

Cod. 582

R. Raphaèl *Commentarius in Job*, membr. bomb. rabbin. in 4.° sec. xiiI vel initio xiv.

Ineditus commentarius, auctor ipse ignotus, quem Raphaelem esse non ex opere ipso eruo sub initium mutilo, sed ex nota antiqua quae extat ad calcem. Nam quod initio occurrit Kalonymi Coèn nomen, possessoris est, non auctoris. Erat is Nachmanide posterior, quem saepe profert, ut et Maimonide et Aben Ezra, Josephi autem Ezopaei discipulus, quem sub codicis dimidium praeceptorem suum ac magistrum appellat. Eum porro gallum natione fuisse vel forte Perpinianensem, ut erat Ezopaeus, gallicae, sed pro ea aetate corruptae, verborum explanationes, quibus saepe utitur, comprobant. Eruendis enim grammaticis vocum significationibus, in subsidium interdum vocatis, ubi opus est, arabicis ipsis radicibus, unde proveniunt, potissimum vacat auctor, hinc ejus commentarius litteralis haberi debet, egregius, optimus.

Cod. 583

R. Isaaci de Korbeil *Liber parvus praeceptorum* cum *scholiis*, memb. rabbin. in fol. sec. xv.

Scholia ex Maimonide, Alphesio, Mose Kotzensi, et ex libro Tasbetz petuntur, sed sub initium valde mutilus est codex.

Cod. 584

R. Abr. aben Ezrae *Commentarius in Psalmos* et in *V Meghillòth*, seu *Ruth*, *Canticum*, *Esther*, *Threnos*, *Ecclesiastem*, chart. rabbin. in 4.° an. 1384.

Ad calcem Psalmorum: » Absolutus est commentarius psalmorum . . . Absolvi autem et perfeci pro me ipso, ego Nachman fil. Sabtai fel. m.... complevique illum anno 144 min. supp. in terra Avellonae ». Idem annus sed maj. aerae, legitur sub finem codicis: » Anno

5144 conscriptus est, manuque exaratus Nachman fil. Sabtai, in urbe vero Avellonae finitus ».

COD. 585

MACHAZÒR *germ. ritus* cum *Sect. legis* ac *Proph.* et *Psal.* occurr. et *V Megh.*, seu *Ruth*, *Cantico*, *Threnis*, *Eccle.*, *Esther*, membr. germ. in 4.° maj. 2 voll. sec. XIII.

Forte ineuntis. Libri sacri ac sectiones bibl. binis col. dividuntur, saepeque ab edito variant. Praeter loca quaedam, in quibus unicum esse in clavi animadvertimus, fere unicus est Eccle. VIII 16. Integras antichr. preces, etiam rariores, habebat ex prima manu, modo atramento deletas, vel obductas.

COD. 586

MACHAZOR *Germ. Pars II* cum *Ruth Cantico cant. Threnis* et *Ecclesiaste*, ac singularibus variorum auctorum precibus et carminibus, memb. germ. 4.° maj. sec. XIII.

Threni inter preces occurrunt cum punctis, reliqui tres libri ad calcem iis destituti. Multa habet singularia, pluresque hymnos vel sacra carmina in mss. ipsis codicibus rarissime obvia. Multa etiam praefixa exhibent auctorum nomina, ut Jotzèr R. Meir, aliud Eliezeris fil. Natan, unum Menachem fil. Machir, aliud Meir fil. Baruch de Rothenburg, Piùt R. Ephraim sabbathi ante pentecostem, aliud Baruch de Moguntia, Jotzèr Simeon magni fil. Isaaci, Jotzer Isaaci Sagàn, Rescud R. Isaaci, Rescud R. Kalonymi, alia R. Eliezeris fil. Nathan et R. Baruch, Piut Samuelis Coèn, aliud Aben 'Ezrae, aliud Baruch fil. Samuelis, Kedoscà R. Josippia, Piut Samuel de Arphota dicti Dovlin, Piùt R. Baruch, Kinà Menachèm fil. Jacob super interfectis בורגש, Kinà Jacobi fil. Isaaci Levitae super decreto Wormatiae, Kinà alia R. Kalonymi, aliaque R. Eliezer super interfectis Wormatiensibus, Poema lugubre Joelis Levitae de Bona super decreto Coloniae, Jotzer R. Mescullam senioris, Medras decalogi, chaldaicum denique Rescud R. Nehorai super ipso decalogo. Sunt qui putant sub simplici Meir nomine, Rothenburgensem intelligi, et eundem esse cum Meir fil. Baruch. Alii, inter quos Zacutus et Wolfius, eos distinguunt. De Eliezere fil. Nathan, ejusque scriptis agit Wolfius in I ac III vol. sub n.° 294, sed nihil de ejus Jotzèr ac Rescud. Nihil de Menachem fil. Machir, qui alibi dicitur Machirì, nihil de Piut Ephraimi, qui idem videtur cum Ephraim Ratisbonensi, quem

memorant Juchasin ac Wolfius sub n.° 342. Baruch Moguntinus idem est cum Baruch fil. Samuelis, cujus responsa innuit Wolfius T. III p. 164, nulla facta mentione ejus carminum. De Isaaco Germano ejusque hymnis ac precibus pauca habet is T. I p. 650, sed silet de Samuele Coen nostro, qui est antiquior eo quem recenset sub n.° 2079. Silet et de Josippia et Samuele de Arphota, qui in carminis titulo dicitur occisus propter unitatem Dei seu ejus confessionem. Nescio autem, an Menachem ben Jacob idem sit cum Menachem ben Saruk, insignis ac celebris antiqui Lexici auctore, et Jacob fil. Isaaci Levita idem cum auctore Divrè aghur Venetiis editi, quem refert Wolfius sub n.° 1056. Sive tamen iidem sint, sive diversi, eorum Kinòth vestigia apud eum nulla, ut et Kinà Eliezeris, quem non dubito eumdem esse cum Eleazare Wormatiensi, cujus scripta fuse Wolfius enumerat sub n.° 316. Auctor enim hic, apud judaeos celeberrimus, in *Juchasin*, et *Scalsceled* vocatur etiam, ut in nostro codice, sed minus recte, nomine Eliezeris, nec infrequens in judaicis mss. utriusque nominis confusio. Joelem quemdam Levitam germanum, unus ex iis qui scripserunt Mordechì, vix innuit Wolfius T. I p. 467, quem cum nostro de Bona eundem esse non est inverisimile. Ignotum tamen Wolfio fuit ejus poema, ut et nomina et poemata Mescullàm senioris et Nehorai, nisi posterioris nomine antiquum Miscnae doctorem intelligas.

COD. 587

JOB, memb. germ. in fol. seculi XIII.

Prima libri dictio majoribus ornatisque constat elementis, textus alternis lineis dividitur, tresque postremi versus deficiunt. Fere unicus est cap. XV 24.

COD. 588

MACHAZÒR seu *Brev. precum* continens Pizmonìm et Selicòth, membr. germ. 4.° maj. sec. XIV.

COD. 589

JOB, membr. germ. in 4.° maj. sec. XIV.

Alternis scriptus lineis, nec amasorethicis destitutus bonae notae lectionibus, unicus cap. XL 2, fere unicus XVII 2 et XXXIII 29, rarissimus XI 17.

COD. 590

1.° CANTICUM CANTICORUM cum *Comm.* R. Mosis filii Samuelis aben Tibbòn.

2.° R. Jehudae fil. Mosis fil. Danielis *Dissertationes variae philos.*, seu *logicae de facultatibus animae et assequutione intellectus*.

3.° Genesis *Caput I* cum ejusd. Jehudae *Comm.*, seu *Expositione operis creationis*, chart. rabbin. in 4.° in. seculi xv.

Ineditus ac rarissimus est Mosis Tibbonidis comm. in Canticum, Bartoloccio ac Wolfio ipsi ignotus, quum primum *Bibl.* suae vol. vulgavit. At vero ex ms. *Catal.* Gagnerii in Bodlejana eum delitescere inter Pocok. codices n.° 296 deinceps didicit, retulitque vol. iiI pag. 820. Codex ille est modo in novo Uri *Catalogo* 318. R. Jehudam fil. Mosis fil. Danielis Romanum philos. varios tractatus, inter quos extant de facultatibus animae, et de assequutione intellectus, hebraice vertisse vidimus ad cod. 315, ac videbimus iterum ad 1174. Quae hic exhibentur dissertationes videntur esse ejus praefationes ad illas versiones. Postremum ejus opus ineditum et ipsum, ut reliqua omnia auctoris, et Wolfio ignotum extat etiam in cod. 129. Notandus tamen nostri hujus titulus: » Expositio operis berescìth, seu creationis quam composuit sapiens R. Jehudà fil. R. Mosis fel. mem. philosophus divinus ». Desunt sub finem nonnulla.

Cod. 591

R. Eliae Senioris *Seder*, seu *Ordo* complectens *excerpta biblica* cum *Cantico unitatis* R. Jeh. Chasid, membr. rabb. 16. sec. xv.

Cod. 592

Pentateuchus cum *Targum*, *V Meghillòth*, *Aphtaroth et Comm.* Jarchì, memb. germ. fol. 2 voll. sec. xiiI.

Incipit Gen. v 5. Tribus constat columnis, quarum media sacrum textum occupat, binae laterales chald. paraphrasim et commentarium. Perpetua etiam scholia varii generis, sed Rasciana verba potissimum respicientia, extant ad marg.. Singularis in re critica usus esse evincunt vel sola, quae in clavi codicum produximus, loca, in quibus unicus est in confirmandis samar. textus et antiquarum versionum lectionibus. Iis adde ex *Scholiis criticis* Gen. xlix 5.

Cod. 593

Agiographa, seu *Psalmi, Job, Prov.*, *Ecclesiastes*, *Canticum cant.*, *Threni*, *Daniel*, *Esther*, *Esdras*, *Nehemias*, *Paralip.*, membr. germ. fol. 2 col. sec. xiI exeuntis vel ineuntis xiiI.

Minus tamen detortus est character, ut ad intermedium accedat. Incipit codex Psal. CIV 23, et desinit II Paral. XXXIII 19. Eo ordine singulari procedunt libri, quo exposuimus. Ruth procul dubio ante Psalmos reperiebatur. Nulla masora, nullum kerì, nullae initiales litterae majores praeter chronica. Libri poetici alternis lineis dividuntur, haecque ad Prov. calc. conspicitur nota: » Ego Issachar fil. R. Salomonis levitae absolvi hunc librum ». Et infra: » Ego Issachar fil. Sal. levitae scripsi accentus. Roboretur ac confirmetur Isaac scriba fil. R. Eliezeris ». Infinitae nitent in hoc codice amasorethicae ac praestantissimae lectiones, quae eum reddunt pretiosissimum, multae etiam perrarae, singulares, unicae. Unicas habes Thren. III 64, Esth. VI 6, Prov. VI 23, XVI 33, Job XIV 10, XXX 20, XXXIV 36, Neh. V 19, I Paral. X 11, II Paral. XV 16, XXVIII 1, fere unicas Job XV 35, XXXV II, I Par. II 34, XIV 15, II Par. IX 14, rarissimas Psal. CXXV 3, Prov. X 32, XVIII 4, Esd. II 44 et 70, Neh. IX 17, XI 36, I Paral. VI 25, II Par. VI 17, XXV 1, XXV 26, XXVI 7. Inter unicas ac gravissimas eminet ea quam servàt II Par. XXVIII 1. V. *Var.* nostras *Lectiones* ad hunc locum.

COD. 594

APHTARÒTH seu *Sectiones prophetic. totius anni*, memb. germ. 8.° an. 1473.

Ad calcem: » Ego scriba scripsi Aphtaròth pro R. Jehudà Mintz, et absolvi die XV mensis av an. 233 min. supp. VI millenarii, dicit scriptor Ikar fil. R. Simeonis, qui vivat ad dies felices ». Unicus I Sam. XV 9 in gravi lectione, ac rarus in *Schol. crit.* Isai. XLIII 2, Hab. III 16.

COD. 595

PSALTERIUM, memb. rabb. 16. init. sec. XV.

Singuli tituli maj. litteris constant ac rubris, numerat psalmos 149, rarissimamque exhibet lectionem Psal. L 11.

COD. 596

BIBLIA, seu *Prophetae priores, posteriores* et *Agiographa* cum *Masora*, memb. germ. in fol 3 col. ac 3 voll. sec. XIII.

Incipit Jos. II 14, nullas habet initiales majores, Paral. in fronte agiographorum, poeticos libros alternis lineis distributos. Nec ex crebris quas suppeditat, lituris ac correctionibus diligenter scriptus, sed ob immensam insignium, optimarum, rarissimarum variationum copiam maximi habendus. Unicus Jud. II 3, I Sam. III 1, X 12,

Isai. x 4, xvI 12, xxx 14, lvil 3, lxI 8, Jerem. vI 6, Ezech. xiI 19, xvI 6, Ose. xI 7 et 9, Mich. iI 4, Agg. iI 1, Cant. viiI 11, Psal. viiI 4, xxv 18, xlv 13, xlix 14, lxxI 14, cxiI 4, cxix 105, Prov. x 10, Job xxiv 13, xxix 5, xxx 5, Dan. iI 48, Esdr. x 3, fere unicus Isai. iiI 25, xxI 14, lv 4, lviI 7, Zach. xI 5, Psal. xviiI 32, liI 2, Prov. xvI 11, Job xxI 22, I Paral. vI 37, iI Paral. xvI 9, rarissimus Jud. ix 41, I Sam. xxiv 14, Jer. xlix 5, Ezech. xvI 4, xvI 39, xxviI 17, Zach. xiv 5, Isai. xxiI 14, Prov. iiI 20, x 21, Job xxiv 24, xxxix 22, Esdr. x 16, Neh. ix 4, iI Par. viiI 9, xxv 26, xxvI 23, xxxv 23.

COD. 597

PENTATEUCHI AC PROPH. *Sectiones festorum*, *V Meghillòth*, seu *Canticum cantic.*, *Ruth*, *Threni*, *Ecclesiastes*, *Esther*, *Job et Jeremias* cum *Masora*, membr. germ. in fol. max. 3 col. sec. xiiI.

Flaviori charactere legitur ad calcem nomen Scemajae, qui puncta addidit. Alternis lineis exaratus est Job, ~~ini~~tiales majores, variasque suppeditat lectiones non poenitendas. Unicus Levit. xviiI 14, Num. vI 76, Job xxxiI 21, fere unicus Job xxxv 11, perrarus Eccle. xI 6, Job xxviiI 23.

COD. 598

1.° R. JEDAJAE PENINÌ seu SAL. GAVIROL *Mivchàr appeninim*, *Delectus margaritar.*

2.° R. MOSIS ROPHÈ fil. Abrahami *Oratio*.

3.° ANON. *Comp. Chovàd allevavòth* R. Bechai, chart. vel bomb. rab. in 12. an. 1413.

Primus liber auctus est sub finem sectione quadam מקבוץ חכמים *de conventu sapientum*, quae in editionibus mss.que aliis codicibus desideratur, hacque explicit nota: » Absolutus est Mivchar appeninim... Fuit autem finis ejus feria vI die xI mensis secundi an. 5173 receptae aerae, scripsique eum ad mei ipsius usum ego Moses fil. R. Nissim Kimchì in finibus Romae in urbe Corneti ». Ad calcem orationis Mos. Rophè: » Hanc orationem una cum rythmo qui praecedit de redemptione, composuit R. Moses Rophè fil. R. Abr. Rophè, quum in carcere in arce Galisi detineretur tribus mensib. tribusque diebus ». De hac oratione ejusque auctore nihil Wolfius. Ignoratur etiam auctor compendii chovad allevavòth, cui praemittuntur versus R. Bechai, qui in Neap. editione sub finem collocantur. Explicit hac librarii nota: » Absolutus est, laus Deo mundi, scripsi porro eum ad usum mei, ego Moses fil. R.

Nissim Kimchi, fuitque finis ejus feria III die II mensis II seu ijar an. 173 min. supp. »

Cod. 599

Anonymi *Opus astronomicum*, chart. rabb. 4.° sec. xv.

Folio 8 occurrunt עקרי התקופות *Fundamenta revolutionum*, et tractatus vel capita totidem constant saharim, ita ut videatur opus esse R. David ben Avudraàm Sahar tekuphoth seu tractatus de solstitiis et aequinoctiis, quem memorat Bartoloccius. Concinit aetas, nam florebat Avudraàm an. Chr. 1340, noster vero auctor sub codicis dimidium annum innuens decurrentem, quo scribebat, scribit esse 5070 ab orbe condito, 1621 aerae Alexandri vel contractuum, 1348 aerae christianae, 1242 a destructo templo II, 756 computi muhamedanorum, seu hegirae.

Cod. 600

R. Levi Gersonidis *Commentarius in Jobum*, chart. rabb. fol. sec. xv.

Cum auctoris aera an. 86, quam exhibent cod. 70, 182.

Cod. 601

R. Jehudae Levitae Liber *Cuzarì*, hebraice versus a R. Jehuda ben Tibbon, membr. rabbin. in 4.° min. seculi xiv.

Insignis ac celebris de vera religione dialogus inter judaeum, philosophum gentilem ac christianum, arabice primum ab auctore conscriptus, hebraice vero a Jeh. Tibbonide translatus. Hinc in Wolfio, qui pluribus de eo agit T. I p. 440 et III p. 322, illud *vel saltem hebraicum fecit*, quod priori loco legitur, *arabicum* emendandum est. Christianos in hac disputatione non impeti docet aperte secunda editio Veneta, legens sub praef. initium חוץ מהנוצרים *christianis exceptis*, confirmatque Buxtorfius in notis ad hunc locum. At vero verba haec merum sunt editoris additamentum ad offensionem nostram vitandam, quod nullus codex agnoscit, nec habet Fanensis editio omnium princeps ac Veneta prima. Immo vero sub eo nomine אנשי התורות variarum religionum hominum christianos et turcas designari, הם אדום וישמעאל, monet ad marg. codex meus 1105, apertiusque docet argumentum primi tractatus duobus meis codicibus praefixum, 1095, et eidem 1105. » Tractatus primus agit de religione philosophorum et de religione nostra, quod nos simus coetus congregationis credentium, et de erroribus הנוצרים christianorum et ismaelitarum ». Se-

cundus codex pro *erroribus* legit *rationibus*, *objectis*. Eadem de caussa, ad vitandum videlicet christianorum odium, factum est, ut pro לאדום *edomaei*, seu *christiani*, quod sub initium primi sermonis Cuzarì legitur in mss. omnibus et in duabus primariis editionibus, in Veneta secunda substitutum sit nomen persarum. Praeter latinam Buxtorfii et hispanicam Abendanae versionem extat alia hebraica R. Jehudae fil. Kardanielis, cujus praefationem codices mei quidam retinent. Conf. infra dicenda ad cod. 625 et 1095. Textus autem versionis tum in hisce duobus, tum in binis aliis, 676, 1105, cum nostro hoc cod. 601 et edito, facta collatione, congruit, adeoque est in omnibus R. Jehudae Tibbonidis. Crebro tamen inter se et ab editionibus dissident codices mss., nostrumque hunc insignem ac singularem habere discrepantiam a textu Buxtorfiano ac Veneto olim observavimus in appendice ad vol. IV *Var. Lectionum* ad Thren. IV 18. Saepe etiam variae hae aliorum codicum lectiones ad marg. exhibentur. Hac explicit epigraphe: » Finitus est liber, laus Deo sit opitulanti et benedicto. Composuit eum sapiens magnus R. Jehuda Levita fel. m. lingua arabica, sapiens vero R. Jehuda fil. Saul fel. m. Granatensis hispanus in sanctam convertit in arce Lunel. Tandem eum descripsit Abraham fil. R. Josephi fel. m. de urbe Roma in civitate Narni ». Nota tum in hac, tum in aliis omnibus nostrorum codicum, et exterorum epigraphis ac titulis auctorem nostrum constantissime appellari filium Saul, ut et in omnibus hujus libri editionibus. Sic communiter bibliographi nostri ac judaeorum plerique. At vero R. Abr. Dior in *Libro cabbalae*, Jachias in *Scalceled*, Muscatus in praefatione, et ut alios taceam, Azulai in suo *Scem aghedolìm* eum vocant filium Samuelis. Quod mendose et per errorem fieri autumat Buxtorfius in praef. ad latinam hujus operis versionem, confirmatque Wolfius T. I pag. 449 in notis, producta crebra prioris nominis cum posteriore confusione. In quo quidem uterque insignissime fallitur. Nam in celebri nostri auctoris hymno, qui canitur ante festum purìm et incipit *Adòn chasdechà*, alphabetico et acrostico, initiales versuum litterae, quae post primum alphabetum veniunt, manifestissime produnt אני יהודה הלוי הקטן ברבי שמואל הלוי. » Ego

Jehudà Levita minimus fil. R. Samuelis Levitae ». Idque tanta consensione in editis mss.que ipsis codicibus judaicarum precum, in quibus occurrit, ut collatis machazorìm omnibus mss. qui apud me extant maximo numero, ne unum quidem repererim, qui versum a mem incipientem omittat et legat Saulis. Ii ergo auctores qui Samuelis filium faciunt, in hymno hoc quem passim legunt et canunt, praesidium habent gravissimum, et ejusmodi, ut definiendae rei sufficeret, nisi obstaret codicum Cuzarì consensio. Ego tamen, si unus idemque est auctor, in quo omnes consentiunt, potiorem habeo sacri carminis auctoritatem, in quo Jehuda ipse loquitur, ejusque lectionem alteri praeferendam opinor, quae interpretis est vel amanuensis. Facilius est etiam unam litterulam in describendo nomine omitti, quam quatuor integros versus addi in eo carmine, quot videlicet a littera mem dependent.

Cod. 602

Proverbia cum *Commentario* R. Menachem fil. Salomonis Meirì, memb. 4.° sec. XIV vel init. XV.

Quadrato charactere germ. quoad textum, rabbinico quoad comm. quem ex sola Sabtaei fide in I ac III vol. memorat Wolfius, in IV vero in Keilòth moscè, seu Bibliis rabb. Amstelod. a. 1724 editum testatur p. 899. Ubique tamen in Wolfio sub n.° 1435, ubi de nostro hoc auctore agit, Salomonis patris nomen supplendum est, quod ei codex noster in titulo apertissime tribuit, nec negat Wolfius ipse vol. I sub n.° 1459, quem perperam ab auctore nostro distinxerat. Mutilus ad calcem codex, margoque inferior recisus.

Cod. 603

Anonymi *Marèh makòm* seu *Index talmudicus,* chart. rabb. 4.° sec. XVI.

Praeter indicem locorum talmudicorum, misnicorum, tosephòth, sistitur alius sacrorum omnium textuum, qui in Talmude occurrunt, juxta librorum ordinem distributus. Posteriorem hunc in Oppenheimeri bibliotheca extare notat Wolfius T. II pag. 1368.

Cod. 604

Pentateuchus et Prophetae priores, seu *Josue, Judices, Libri Samuelis* ac *Regum,* et *Jeremias,* cum *Masora,* memb. germ. fol. 2 col. ac 2 voll. sec. XIV vel init. XV.

Rubro atramento ornantur librorum ac sectionum initia, hebraice ac latine, quod

singulare, hebraicis tamen litteris supra exhibentur et indicantur librorum tituli, Regum libros excipit Jeremias, sed valde mutilus, unicusque est codex I Sam. xx 28, fere autem unicus II Reg. XVIII 8.

Cod. 605

Siddur seu *Ordo precum* cum *Pirkè avòth*, *Sect. bibl.* ac *Psal.* occurr., membr. germ. 12. sec. XIV.

Venditus, ut legitur I fol., Akibae fil. Ephraim die XXVIII ellul an. 240, Ch. 1480.

Cod. 606

Pentateuchus cum *Aphtaròth* et *V Meghilloth*, memb. rabb. 12. 2 col. sec. XV.

Nitidissimus, initiales majores, et quidem librorum Pent. aureae, elegantique ornatu, pariter aureo variique coloris, nobilitatae. In v Meghillot Esther praeceditEccle.

Cod. 607

Proverbia cum *Commentario* R. Salom. Jarchì, memb. germ. 4.° min. sec. XIII.

Titulus ornatus, primaque vox aurea, textus lineis alternis divisus rarusque cap. IV 21 et XXX 1, commentarius marg. col. ac char. rabb..

Cod. 608

R. Mosis Nachmanidis Commentarius *in Pentateuchum*. Accedit ejusdem *Tefilà*, seu *Precatio ad Deum super excidio templi*, memb. hisp. in fol. maj. 2 col. sec. XIV.

Praeclarissimus codex nitido et eleganti charactere quadrato hisp. summaque diligentia conscriptus, maximi etiam faciendus ob criticas, quas passim manifestat, curas, emendationes, supplementa. Commentario subjicitur precatio super excidio templi, praemissa tamen nota, qua docetur anno 5027 a condito orbe, Ch. 1267, emisisse Nachmanidem votum de suscipiendo Palaestinae itinere, viamque ingressum primo ad urbem Acco, deinde vero Hierosolymam pervenisse. » Haecque est oratio, subditur, quam oravit doctor in monte sancto in Hierusalem ». Novum hinc argumentum eruitur ad confutationem Zacuti, qui perperam auctorem nostrum statuit obiisse an. 5020, Ch. 1260. Luculentius alterum oratio ipsa suppeditat. In ea enim circa dimidium tum in mss. codicibus, tum in antiquis editionibus in quibus ad Pent. calcem extat excusa, Nachmanides ipse testatur se ad sanctam eam urbem pervenisse et in eam ingressum die IX mensis ellul anni illius 5027. Quod mirum est a Wolfio ceterisque bibliographis non fuisse animadversum,

nec ab auctore ipso *Koré adoroth*, qui ex eo itinere mendosum illum Zacuti calculum emendavit. Male autem Wolfium T. I p. 876 contra calculum Zacuti alterum *Scalsceled* seu Jachiae ursisse, a se perperam lectum, nec a *Scalscéled* probatum, supra vidimus ad cod. 118. Aperte etiam redarguitur quod T. III p. 800 notat Wolfius, precationem hanc iter in terram sanctam suscepturum fecisse, oblitus eorum quae ex *Scalscéled* ipse scripserat T. I p. 880. Notent etiam qui Wolfio utuntur, precationem illam aliquam, quam asserit is T. IV p. 921 legi ad calcem Ulyssiponensis editionis comm. Nachmanidis, ab hac nostra non esse distinguendam, nec modo in ea editione anni 1489, sed et in binis aliis sec. XV, Neap. an. 1490, et primaria sine anno et loco, quae omnes ad manus sunt, lucem vidisse. Postremam hanc ignoravit Wolfius, priorem vero an. 1490 perperam T. IV non putat ab Ulyssiponensi distinctam, ut monuimus in *Annal. XV sec.* p. 71.

COD. 609

PSALTERIUM cum R. Jehudae Chasid *Cantico unitatis*, memb. ger 12. 2 col. sec. XIII.

Lineis alternis divisus initiales minores, habet utramque masoram sola pag. I annotatam, nec ultra protractam, et praeter psalmorum indicem et canticum de unitate, paucas alias preces ad calcem subjectas.

COD. 610

JOB cum *Commentario* R. Sal. Jarchì, memb. 4.° min. an. 1486.

Incipit Job IV 1, sacer textus alternis constat lineis, litterisque quadratis germ., commentarius rabbinicis, capita rubro plerumque colore distinguuntur, ad calcem vero librarius bis nomen suum indicat Chaiim punctis supra notatis, hancque subdit epigraphem: « Fuitque omni operae finis anno 246 min. supp., scripsi autem illum pro sapienti R. Immanuel fil. Menachem fel. m. Papiae ». Rarissimas lectiones exhibet Job XXVIII 27, XXX 13, et XL 22, estque singularis et fere unicus in *Schol. crit.* XXXI 15.

COD: 611

PENTATEUCHUS, membr. germ. 8.° sec. XII.

Magnae vetustatis codex, litterae obsoletae, atramentum detritum, puncta litteris coaeva, nulla masorae vestigia, rarissima kerì, initiales majores, nomen ineffabile Jeovàh saepe in textu et in medio verborum superstitiose insertum, crebrae verborum

vel versuum omissiones ad marg. suppletae. Solus liber Genesis habet ad calcem, et quidem in margine, numerum versuum. Sub finem Exodi scriba haec apposuit: » Fortis sit ac confirmet se propter populum nostrum, et propter urbes Dei nostri, sed Dominus quod bonum est in oculis suis, faciat ». Incipit Gen. I 27, et unicus est Gen. XXIX 23, XLI 55, Lev. III 5 in confirmandis potissimum LXX.

COD. 612

PSALTERIUM, membr. rabbin. 16. sec. XV.

Dividuntur psalmi seu lineae nulla servata metri vel hemistichiorum ratione, et numerantur 149. Unicus codex Psal. LVI 14, LXXIV 19, fere unicus LXVI 5, unus e paucis Psal. XVIII 15, LXXI 4, CXIX 61.

COD. 613

AGIOGRAPHA, seu *Psalmi, Job, Prov., Daniel, Esdras, Nehemias, Ruth, Canticum cant., Ecclesiastes, Threni, Esther*, memb. rabb. 4.° min. vel 8.° sec. XIV vel init. XV.

Psalmorum titulus minio condecoratus, Jobi ac Prov. variorum animalium figuris. In textu numerantur psalmi 148, in indice, qui ad calcem occurrit, 149. Ex nota quae sequitur, patet venditum fuisse an. 169, Ch. 1409 a Mose filio Danielis Josepho filio Chaiim, cujus variae natorum sibi filiorum epochae referuntur an. 178, 195, 201, 205, 208. Rariores lectiones habet Ps. CXXV 3 et Neh. IX 4.

COD. 614

V MEGHILLÒTH, seu *Canticum cant., Ruth, Threni, Eccle., Esther*, et *Aphtaròth*, seu *proph. Lectiones totius anni*, memb. germ. 4. min. 2 col. exeunt. sec. XII vel in. XIII.

Vetustissimus codex sub finem mutilus, unicus II Sam. XXII 44.

COD. 615

PSALTERIUM, RUTH, THRENI, et ESTHER cum *Commentario* R. Immanuelis fil. Salomonis et anon. *Dissertatione* in ea verba *Tabulae autem opus Dei sunt, et scriptura scriptura Dei*, memb. in 4.° 2 voll. ac 2 col. sec. XV,

Commentarius rabbinicis descriptus est litteris, sacer textus modo rabbinicis, modo quadratis hisp. cum punctis. Pretiosissimus maximique pretii codex ob ineditos, ac rarissimos, immo et bibliographis omnibus hucusque ignotos, quos exhibet, celebris Immanuelis in quatuor eos libros commentarios. Quotquot enim ob oculos habeo sive nostros, sive judaeorum scriptores rei litterariae, profundum de iis servant si-

lentium. Quod spectat tamen ad comm. in librum Ruth suspicor ac fere pro certo habeo, eum R. Immanuelem nescio quem, cujus comm. in Ruth ms. se habere testatur Plantavitius n. 359, a Wolfio relatum sub n.° 1785 T. I p. 947, Immanuelem nostrum esse, ac Plantavitianum codicem ad eum referendum. Psalmi numerantur 149, et ad eorum calcem punctis notatur vocabulum Chaiim, procul dubio ad designandum nomen scribae. Quae sub fin. II vol. ac codicis additur anonymi auctoris dissertatio, alia manu est exarata, antiqua tamen eademque cum ea, quae in Immanuelis textu interdum nonnulla supplevit.

COD. 616

ANONYMI *Medràs scir ascirìm*, *koèleth*, *mislè*, seu *Expositio allegorica Cantici cant.*, *Ecclesiastis* et *Proverbiorum*, chart. rabb. fol. min. sec. XIV vel init. XV.

Medràs mislè explicit ad cap. XXV I, a scriba ipso intermissus, congruitque cum textu cod. 1240. Bini alii medrascìm congruunt cum textu cod. 541, valdeque ab editionibus dissentiunt. Ac primus quidem incipit Cant. I 4.

COD. 617

R. BARUCH DE GARMIZA, seu Wormatiensis *Liber terumà*, membran. nitid. rabb. 2 col. in 4.° maj. sec. XIV.

Ad calc. » Ego Jacob fil. R. Joseph absolvi librum Terumà. Laus Deo habitanti in excelso ». Sub initium habetur nomen antiqui possessoris Jehudae fil. Biniamini an. 259, Ch. 1499. Complectitur opus constitutiones rituales, deque eo Wolfius T. I p. 268, et III p. 162, et *Catalogus* Vaticanus T. I p. 117 ad cod. 145.

COD. 618

ANONYMI *Commentarius in Jarchium in Pent.*, chart. rabb. in 4.° sec. XIV.

Desinit in. sect. והיה כי תבא.

COD. 619

R. JONAE *Commentarius in Pirke avoth*, chart. rabb. in 4.° sec. XIV.

In titulo simplex exprimitur Jonae nomen, sed ex praefixo tit. honoris rabbènu doctoris nostri, qui Gerundensi tribui solet, ad eum librum refero, ineditum et bibliographis omnibus ignotum. Charactere exaratus est contorto ac difficili, orientalis vel hisp. inflexionis, ac sub finem deficit.

COD. 620

ANONYMI *Medràs rùth*, seu *allegorica Expositio libri Ruth*, chart. rabb. 4.° min. sec. XV.

Cod. 621

R. Levi ben Gersòn *Milchamòth ascèm, Bella Dei*, bomb. rabb. 4.° min. sec. xv.

Ab initio ac fine mutilus, incipiens a fine cap. iv tract. iv, et desinens ad cap. xviiI tract. vI.

Cod. 622

Anonymi *Liber tanià* seu *traditionis*, membr. rabb. in 4.° sec. xiv vel init. xv.

De auctore ac libro multa diximus ad cod. 190, in quo is continetur. Quaedam in hoc codice in fine deficiunt, omnia tamen complectitur, quae sunt in edito, ac pauca praeterea quae in eo desiderantur. Scriptus a quodam Menachem, ut ex punctis, quibus pluries initialia verba nomen hoc componentia notantur, eruitur.

Cod. 623

Aben waphid *Liber de cervicalibus capitis*, seu *unguentis* hebraice versus et in comp. redactus a r. Jehuda fil. Salomonis Nathan cum praef. et indice r. Abr. Amilabì, bomb. rabb. in 4.° min. an. 1391.

Charactere rabb. orientali implexo ac difficiliori. In praef. Amilabii auctor libri, seu melius ejus consarcinator, dicitur sapiens philosophus magister Bongodas Nathan. Sed uberiora sunt quae de opere ejusque auctore et interprete ad calcem traduntur. » Hicque absolvitur versio libri medici מראשות הראש *de cervicalibus capitis*, seu ordinis peculiarium unguentorum juxta varios illius morbos. Totum eum produco ex celebri libro Aben Waphid. Ego autem Judas fil. Sal. Nathan ex Isai prosapia oriundi illum descripsi, selegique ex eo unguenta apud nos notiora et faciliora inventu, et absolvi eum die xxviI mensis scebat an. 112 (Ch. 1352) sexti millenarii ab orbe condito... Jam vero ego servus Aar. filius Ruben fil. Josephi fil. Josuae Amilabi scripsi illum pro me et ad mei usum anno 151 sexti millenarii, omnesque dictiones arabicas, quas in libro reperi, juxta earum nomina et origines in hebraicas pro modulo meo converti ». Nulla apud Wolfium aliosque nec libri, nec auctoris, nec interpretis ac redactoris, nec descriptoris Amilabii, qui praefationem praemisit et indicem, mentio.

Cod. 624

1.° Petri Juliani *Otzar aniìm*, seu *Thesaurus infirmorum*, medicinae compendium ab anonymo hebraice translatum.

2.° Avicennae *Compend. medicinae* in x sect. divisum.

3.° Bruni *Chirurgia* a R. Jacobo fil. Jehudae aben Kaspièl hebraice versa.

4.° Anonymi *Emplastra* et *unctiones* variae, memb. rab. 4.° min. sec. XIV.

Titulus primi operis: » Hic est liber אוצר העניים Thesaurus infirmorum compositus a magistro Petro Juliano hispano, qui postea fuit papa ». Videlicet Johannes XXI, ordine XX, quem ecclesiasticae historiae scriptores notant natione lusitanum fuisse, nomine Petrum Julianum, arte medicum, in physica ac medicina versatissimum. Petrum hispanum memorat Wolfius T. I p. 971, et III p. 923, ut auctorem logicae ms., quae, Nesseliano *Catalogo* teste, extat in Vindobonensi, subditque posteriore loco la-Crozio ac sibi videri eundem esse cum auctore parvorum logicalium, qui postea in summi pontificis dignitatem evectus, Johannis XXII nomine claruit. Dicere uterque debebat XXI, nam Johannes XXII nec natione hispanus fuit, nec nomine Petrus. Post allatam tamen hanc la-Crozii conjecturam, » videri alioquin poterat, subjicit Wolfius, idem cum Petro Alphonso, cujus logicam n.° 1824 commemoravimus, quae ut in linguam graecam translata est, ita forte hebraice converti meruit ». Ac verisimilior cuipiam fortassis videbitur posterior haec conjectura, quum Juliani nomen non compareat, ac Petri Alphonsi logica ms. extet in bibliotheca publica Parisiensi. Quod si logicae auctor a Petro Juliano nostro diversus est, tum de posteriore hoc scriptore profunde silet Wolfius, ut profunde silet de nostro hoc ejus opere medico, quod tamen sub hoc eodem titulo, ut ms. et de medicina agens, sed ut anonymum, ad calcem *Seder adoròth* commemorari video a R. Jechiele.

Avicennae compend. medicinae, quod noster codex continet, idem esse opinor cum ejus medicina compendiosa, quam ms. extare in bibl. regia Paris. notat Wolfius T. III p. 7, nisi malis illam de Canonis, vel Avicennae operum compendio intelligere a nostro hoc diversissimo. Extare tamen quoddam medicinae compendium ab Avicenna ipso compositum ex eodem Wolfio eruitur, qui statim subdit anonymi commentarium ms. in Avicennae compend. medicinae in Colbertina servari. *Arabica* vero *philosophorum Bibliotheca* uberius ac perfectius Avicennae scripta recensens apud Casirium *Bibl. arab. hisp. Escurial.* T. I p. 270, aperte inter ea memorat librum de medicina in comp. redacta, qui ipsissimum procul dubio est codicis

nostri compendium hebraice translatum. In praemissa praefatiuncula, quae Avicennae nomen in fronte gerit, testatur is se ad lectorum commodum librum componere בכל שרשי הרפואה בקצרה de omnibus medicinae fundamentis summatim, eum dividens in x tractatus, tractatum autem quemlibet in alias sectiones, quarum numerus et argumenta subnectuntur. Explicit opus tractatu de febribus, qui septem absolvitur sectionibus vel capitibus, cui index subjicitur arabicarum vocum libri vel artis hebraice expositarum. Hebraeus libri interpres nullibi indigitatur, adeoque incertus.

De Bruno ejusque chirurgia idem Wolfius T. I p. 270, monens non modo eam latine cum aliorum scriptis ter Venetiis prodiisse, sed et hebraice a Jacobo filio Judae aben Caspiel hispano de Alcala doctore medico in urbe Soria A. M. 1501 fuisse conversam, teste Bartoloccio qui id hausit ex ms. quodam illius operis latino bibl. Vaticanae, de eo tamen anno dubitans, quo nullus in Hispania judaeus supererat. Quaedam hic in Wolfio iterum emendanda. Vaticanum exemplar, unde notitiam illam hausit Bartoloccius, latinum non est, sed hebraicum, inter Palatinos codices relatum sub n.° 376 p. 350 editi catalogi. Annus ille mundi aperte mendosus est, legendumque an. m. 5261, Ch. 1501, ut legit reapse Bartoloccius. Sed et hic annus falsus est, nam in fronte codicis habetur annus m. 5251, Chr. 1491, ut notat *Catal.* in latina tituli versione, qui in hebr. titulo alium annum exprimit, annum videlicet conditi orbis 5241, Ch. 1481. Posteriorem tamen aeram ex typ. vitio profectam opinor, ac litterarum confusione, quae saepe in hebr. referendis epigr. in eo catalogo conspicitur, unde prior retinenda. Sic interpres in catalogo dicitur tum in textu, tum in latina versione Aben Kastiel, non Caspiel, quamquam in hoc potius credendum esse putem Bartoloccio, quam catalogi auctoribus, qui in hebraicis legendis crebro et ipsi hallucinantur. Cum Vaticano codex noster concinit, dividitur et ipse in binos libros, quorum quilibet 20 constat sectionibus seu capitibus. At vero hebr. verba, quae catalogus Vatic. affert ut initium praefationis, ea initium sunt carminis cujusdam, quod Vaticanus codex habet in fronte ante praefationem ipsam, noster vero in fine operis cum varietate aliqua lectionis et emendatione. Carmen istud ejusdem est auctoris, ac con-

silia nonnulla complectitur medico ab eo suppeditata. Sequuntur technica nomina libri Bruni italice exposita, deinde תחבושות ומשיחות Emplastra atque unctiones plures in Bruno non contentae eique superadditae, inter quas occurrit et formatio olei benedicti ejusque utilitas et usus.

Cod. 625

R. Jehudae Levitae Liber *Cuzari* vel *Cozri*, memb. rabb. 12. sec. xiv.

Elegans codex, in quo dialogorum exordia alternatim caeruleo et rubro ornatu condecorantur. Est ex versione Jeh. Tibbonidis, sed sub initium, quod plane singulare est, sistit praef. alterius interpretis Jehudae ben Kardaniel, ac si codicis textus ad eum pertineret. Idem fit in cod. 1095 et 1105. At vero in nullo horum codicum posterioris interpretis, qui est tempore prior, versionem servari collatio ipsa evincit, consensusque cum communi Tibbonideo. Nec in iis extat singularis illa ac melior Kardanielis lectio, quam refert R. Azarias in Meor enaim fol. 116 col. 2, et ex eo Buxtorfius in notis ad Cosrì p. 123. Quinque mei codices legunt omnes, ut et princeps Fanensis editio, ac Veneta prima 1547, במבוכה גדולה *in perplexitate magna*, solus 1105 hanc servat ad marginem variam lectionem אתם היום בשובה ונחת *vos hodie estis in quiete et tranquillitate*, quae ipsissima est cum ea Kardanielis quoad sensum, solisque mutatis synonimis diversa. Nullus habet במנוחה, ut legunt hic editiones Veneta secunda et Buxtorfiana. Ex eo loco rectius converso utiliter, si Jehudae Kardanielis versio extaret, cum altera Tibbonidis posse conferri merito subdit Wolfius, nec inutilem aut ingratam rem facturos putamus, si, deficiente versione, saltem praefationem illam in duobus meis codicibus retentam hic exhibeamus. » Scripsit sapiens interpres hujus libri Cuzar in ejus fronte haec verba ». Haec tituli loco praemittuntur in nostro codice, quae in aliis sunt paullulum diversa. » Ego Judas fil. R. Isaaci ben Kardaniel fel. m. transtuli librum Al-Cuzarì R. Jehudae Levitae, cujus anima colligata sit in fasciculo viventium, ex lingua arabica in hebraicam. R. Jehudae autem institutum est ostendere praestantiam legis, et respondere philosophis, et sapientibus religionis gentium, et karaeis. Porro ego in interpretatione mea non immutabo fundamentum verborum ejus, eorumque signi-

ficationem, et si in contextu quidquam addidero vel detraxero, nunquam pro modulo meo et ingenio sensum corrumpam, auxiliumque meum ab excelso petam. Sicut vero ego versionem incepi ex mandato principis R. Josephi ben Barùch, is binas priores ejus sectiones secum in Angliam deduxit, quarum qui eum apprehenderunt, potiti sunt, nec recuperare amplius potuit (alii codices potui), hinc eas iterum vertere coactus sum, ut perfectum, Deo adjuvante, nos opus haberemus. Hoc autem est exordium verborum ejus et initium sermonum. Quaesivisti tu (servet te Deus) ut argumenta tibi ostenderem ac responsa, quae praebemus iis qui a nobis dissentiunt, ex philosophis, et sapientibus religionis gentium, et karaeis, et memorem quod ego audivi ex rationibus doctoris israelitae dicti chaber, idest socii, et reliqua usque ad finem libri ». Ceterum Wolfii votis cumulatissime satisfecit judaeus quidam Nathanael Danita qui nostrae hujus versionis R. Jehudae ben Kardaniel nactus exemplar, eam cum Tibbonidea accurate contulit. Pretiosam hanc collationem variasque inde erutas lectiones ad marginem servat meum exemplar editionis Venetae Franzonianae an. 1547. Sequitur idem libri initium ex versione Tibbonidis. Quae paullo post §. IV exponuntur de christiana religione, in codice partim abrasa sunt, sed integra habentur in reliquis nostris, ut et in Fanensi editione, Veneta prima ac Buxtorfiana. In Veneta secunda desunt. Explicit codex hac nota, quam in aliis codicibus frustra requires: » Absolvuntur sermones socii alicujus excelsi, et rationes ejus cum Cuzàr depellentes multa dubia, et confirmantes fidem stabilem in corde intelligentis ».

Cod. 626

R. Mosis Maimonidis *Jad chazakà*, seu *Talmudis Compendium*, in fol. min. 3 col. an. 1408.

Quadrato charactere minori ad germ. vergente, sed simpliciori ac minus implexo, nitido ac singulari. Ad calcem: » Ego Kalonymus fil. R. Jsaaci fil. R. Meir fil. R. Jekuthiel fel. m. scripsi hunc librum, absolvique mense jiar an. 5168 creationis mundi juxta computum apud nos receptum hic in loco פרלאדה ». Praeter eximias quas praesefert varias lectiones, integra exhibet loca antichristiana, quae in editionibus omissa sunt vel immutata. Sic in celeberrimo loco

cap. xI tractatus Melachìm, seu de Regibus, ubi de Jesu nostro agitur, bis sanctissimum ejus nomen aperte legitur: » Etiam Jesus Nazarenus qui visus est esse Messias et occisus est per domum judicii, de eo vaticinatus est jam Daniel (c. xI 14) et filii pervivacium populi tui elevabunt se ut confirment visionem et impingent. Sicut autem offendiculum magnum ex hoc enascitur, quia prophetae omnes asserunt, quod Messias redimit israelitas, et salvat eos, et restituit, et corroborat eos et congregat, et confirmat praecepta eorum, impius autem hic in caussa fuit, ut perderetur israel gladio, et dispergerentur reliquiae eorum, et deprimerentur, et mutaretur religio, et in errorem induceretur major orbis pars, et adoraretur Deus alius praeter Dominum. Sed cogitationes conditoris mundi nequeunt ab homine comprehendi, quia non sunt viae nostrae viae ejus, nec cogitationes nostrae cogitationes ejus. Et omnes res istae Jesu Nazareni, et hujus ismaelitae (Mahometis) qui fuit post illum, non acciderunt nisi ut dirigant vel explanent viam regi Messiae ec. ». Non aliter ex prima manu legebat codex alter noster 1134, nec aliter bini a Peringero allati, regius et Dilherrianus, aliusque a Pocockio memoratus, ut et arabica versio ms. Bodlejana. V. Peringerum *Diss.* de hoc cap. xI p. 9, Wagenseil *Sotà* p. 340, Wulfer. *Theriaca jud.* p. 39, ac Pocock. *Not.* ad *Portam Mos.* p. 332. Ex editionibus autem excipiendae sunt antiquissimae ac primariae, ut antiqua sine anno et loco, Soncinensis, ac CPolitana. Vide annotata nostra ad ed. Sonc. 1490 in novis *Annalibus heb. typ. sec. XV.* Quamquam et in iis quaedam omittuntur, quae in mss. codicibus habentur pleniora. Et cap. x de Idololatria, seu Avodà zarà, congruit noster codex cum binis codicibus Jablonskii, legens » Sicut Jesus Nazarenus et discipuli ejus, et Zadochus et Baithosus, et discipuli eorum, nomina impiorum putrescat », additis Christi ac discipulorum ejus nominibus, quae in editionibus omnibus, etiam antiquissimis, desiderantur. V. Wolf. T. I p. 854. Immo vero illud prorsus singulare, quod in efferendo nomine Jesu habeat hic codex כישוע cum ain, non כישו ut reliqui codices, et ut fert judaeorum mos, qui, ut testatur Elias Levita in *Tisbì* p. 151, litteram illam omittunt, propterea quod non credunt vel confitentur, quod sit salvator ».

COD. 627

PENTATEUCHUS, seu *Genesis, Numeri, Deuteronomium*, ac PROPHETAE PRIORES, seu *Josue, Judices, Samuel, Reges*, cum *Masora*, memb. hisp. fol. min., vel 4.° maj. 2 col. sec. XIV.

Aureo ornatu distinguuntur librorum exordia, diligenterque exaratus, sed incipit Gen. XXXVII 9, et desinit II Reg. XV 15.

COD. 628

PSALTERIUM cum *Comm.* R. David Kimchì. Accedunt R. Sal. ben Gaviròl *Cheder malcùd*, nec non Maimonidis, et R. Jehudae Levitae *Orationes*, aliaeque *preces*, memb. in fol. min. sec. XIV.

Charactere quadrato quoad textum, qui etsi in quibusdam litteris sit formae germ., in plerisque tamen vertit ad hisp.. Idem sed minor in orationibus quae subjiciuntur, rabbinicus vero in commentario. Incipit a Psal. XXXI.

COD. 629

AGIOGRAPHA, seu *Proverbia, Job, Daniel, Esdras, Ruth, Canticum cantic.*, et *Ordo precum* cum *Vidui* seu *Confessione* R. Jeh. Tibbonidis, membr. rabbin. in 4.° min. anno 1439.

Sine punctis. Est Kenn. 565. In Cantico desunt postremi octo versus, difficilioribusque vocibus puncta apposita. Initiales librorum vel capitum modo omissae, modo rubro colore descriptae. Sub finem Jobi legitur: » Absolutus est die XXII mensis tamuz an. 199 sexti millenarii », sub finem vero ordinis precum: » Confessionem hanc composuit sapiens perfectus... doctor eximius R. Jehuda ben Tibbòn ad calcem libri pretiosi ac jucundi, quem concinnavit vocavitque Chovàd allevavòth. Sic vidi illam ego scriptor in regno Castiliae ad calcem illius libri, quum colebam ac operam meam praestabam praeceptori meo doctori insigni R. Jacob Kapanton fel. mem. an. 166, hicque eam descripsi die X mensis av an. 199 sexti millenarii ». Librum Chovàd allevavòth Jehudas Tibbonides hebraice quidem transtulit, non concinnavit, ut asserit hic amanuensis, ejus vero confessionis nulla apud Wolfium indicia.

COD. 630

CANTICUM CANTICORUM, *Ecclesiastes, Esther, Ruth* cum *Comment.* Gersonidis, membr. et chart. rabbin. in 4.° seculi XV.

Textus litteris et ipse rabbinicis exaratus est, sed majoribus sine punctis. In bi-

nis prioribus libris commentario praemittitur per versus vel sectiones divisus, in postremis integer. Ad calcem: » Ego Isaias fil. R. Jacob de Masseran fil. R. Isaiae de Verona scripsi hunc comm. R. Levi Gersonidis cum textu IV voll. in gratiam R. David fil. R. Isaaci de Rivori ».

Cod. 631

R. Levi Gersonidis *Commentarius in Job*, chart. rabb. in 4.° an. 1421.

Cum praecedenti compactus, sed alterius manus ac characteris. Ad calcem: » Finitus est hic comm. feria V hebd. die XI mensis adar, quae est dies jejunii Esther, an. 5181 ab orbe condito, qui est 1353 excidii templi magni et sancti, quod cito aedificetur in diebus nostris amen, per manum minimi Menachem fil. Mosis medici fil. Sal. fil. Samuelis Galiko fil. Jechielis. Amen ». Folio postremo iterum nomen suum scriba apposuit, primo vero notae occurrunt an. 183, Chr. 1423.

Cod. 632

Psalterium cum *latina Versione* interlineari, membran. hisp. in 8.° sec. XIV.

Luculento charactere a judaeo scriba conscriptus, sat amplo inter lineas relicto spatio, ut locus relinqueretur addendae versioni. Quae reapse ab ebraizante christiano addita est ex Vulgata nostra communi, ita tamen ut in potioribus quibusdam hebraici textus discrepantiis nonnullisque verbis vertendis ejus lectionem, Vulgata derelicta vel ad marg. ablegata, sequeretur. Sic Psal. XXII 17 caarì redditur *sicut leo* cum nota marginali *foderunt*. Incipit Psal. VIII, et unicus est Ps. CXIX 9.

Cod. 633

Agiographa, seu *Psalmi*, *Job*, *Proverbia*, *Ruth*, *Canticum cantic.*, *Eccle.*, *Threni*, *Esther* cum *Masora*, membr. ital. 8.° sec. XIV.

Incipit Psal. XXXVIII 17 et explicit Esth. I 16. Litterae nonnullae vergunt ad formam gèrm., initiales vario colore ornatae.

Cod. 634

Levitici ac Numerorum *Fragmentum*, memb. 4.° 2 col. vetustissimum.

A Lev. XXI 19 ad Num. I 50. Erutum ex ghenizà Luci, et non tam vetustate, quam ipsius loci humiditate corrosum. Membrana rudis, atramentum evanescens, antiquus et intermedius character, puncta desunt, alicubi tamen recentius apposita, litterae obsoletae et aliis antiquioribus superscriptae, plagulae

mutilae, nullum masorae vel keri vestigium, nullum ante majores sectiones spatium, aliquando inter verba, quod in vetustissimis aliis codicibus fit, puncta quaedàm inseruntur. Servabatur in cod. 503 ex fragmentis variae aetatis consarcinato, quibus, collatione facta, nostrum hoc videtur antiquius, et ad IX forte vel X sec., vel saltem ad remotiorem vetustatem referendum. Unic. Lev. XXII 4.

COD. 635

THRENI ac JEREMIAS cum nonnullis *Sectionibus Pent.* ac *Proph.* ac *Precibus*, memb. germ. fol. 2 col. sub fin. sec. XIII vel ineuntis XIV.

Unicus in *Scholiis criticis* Jeremiae I 2.

COD. 636

R. JOSUE ABEN SOHEV *Commentarius cabbalistic. in Pentateuchum*, seu in Nachmanidis *Mysteria legis*, chart. rabb. 4.° an. 1541.

Hujus auctoris Derascòth, seu conciones in legem CPoli ac Cracoviae editas omnes bibliographi memorant, nullus ineditum hunc comm., cujus institutum ex titulo, qui in epigr. suppeditatur, sat aperte colligitur: » Finitus et absolutus est, laus Deo seculi, comm. mysteriorum legis Nachmanidis, quem composuit R. Josuas aben Sohev fel. m. ». Pag. seq. haec alia extat librarii nota: » Scriptus est autem an. 5301 orbis conditi die XXVII mensis tamuz, scripsique eum ego minimus familiae meae Ruben fil. Abraham ». Conditio codicis externa prodit antiquitatem paullo remotiorem, sed indubia est aera, etsi atramenti guttula scin, seu secundus numerus sit tantisper commaculatus.

COD. 637

ANONYMI *Lexicon biblicum hebraeo-gallico-chaldaicum*, membr. rabb. 4.° initio sec. XIV.

In quo sacra verba juxta sacrorum librorum ordinem producuntur, et exponuntur, gallice primum, deinde chaldaice, postremo synonimis hebr. eis respondentibus. Incipit a sectione ויצא Genesis, et desinit ad Joel.

COD. 638

MEGHILLA' seu *Volumen Esther*, memb. exiguae formae hisp. lin. 13 sec. XV.

Primum verbum majusculum, habetque oratio ad calcem » sicut eripuisti nos ex primis etc. », ut in 330.

COD. 639

ESTHERIS LIBER, membr. hisp. fol. min. 2 col. sec. XIII vel initio XIV.

Incipit cap. I 20.

Cod. 640

Psalterium, membr. ital. 8.° sec. xiiI.

Incipit Psal. v 4, sine punctis et cum masora parva, initiales minores, nonnulla folia alia manu suppleta, numerat psalmos 149, habetque plures rarioris commatis variationes. Unicus Psal. lxviiI 18, lxxv 1, xcviI 11, fere unicus lxxx 7, cxxxiiI 1, rarissimus lxxiiI 7, lxxviiI 9.

Cod. 641

Estheris *Liber* et *Ecclesiastis priora capita*, memb. germ. fol. maj. 2 col. sec. xiiI.

Cod. 642

Meghilla' seu *Volumen Esther*, memb. exiguum cum vetusto et elaborato ligno char. min. ital., lin. 19 sec. xv.

Primum vocabulum majusculum, abrasaque postrema verba orationis post dicendae.

Cod. 643

Siddur seu *Ordo precum* major hisp. ritus cum *Cantico canticorum*, variis *Sect. Pent.* ac *Proph.*, ac *Psal.* occurr., *Pirkè avòth et Azaròth* Sal. ben Gaviròl, membr. rabb. 8.° sec. xiiI.

Character hisp. inflexionis, violaceo colore saepe ornantur tituli, eodem colore conscripta est etiam pars cantici Exodi, quod in mss. rarissimum.

Cod. 644

Psalterium, memb. ital. in 16. sec. xiv.

Est sine punctis, iv primis psalmis exceptis, dividitur in v libros, habet initiales minores et clauditur indice psalmorum.

Cod. 645

Psalterium, membr. 4.° min. initio sec. xiiI.

Charactere germ. maj. exaratus, lineisque alternis. Incipit Psal. iiI 9, postremum vero folium recenti manu suppletum est, in quo et nota an. 262, Chr. 1502 antiqui possessoris Abr. fil. Jacobi de Fano conspicitur. Fere unicus Psal. xxiI 30, cxliiI 7, unusque e paucissimis Psal. xviiI 5, xxvI 7, xlix 14, lxxviiI 9, cxxiv 1. Numerat psalmos cliv praeter postremum alia manu suppletum.

Cod. 646

R. David Kimchì *Commentarius in Prophetas priores*, seu *Josue*, *Judices*, *Samuel*, *Reges*, et *in Isaiam*, membr. rabb. in fol. an. 1467.

Abrahami nomen scribae occurrit bis, ad calc. Judicum et Regum. Ad Isaiae marg. identidem extant scholia, praeceduntque in fronte consueti versus auctoris, quos male antiquus possessor notat in editionibus omitti. Pro-

trahitur Isaiae comm. usque ad cap. XLVIII, non codicis defectu, qui est integerrimus, sed scribae qui non continuavit, forte intermortui. Ad calcem Regum haec legitur ejus epigraphe: » Fuit autem complementum hujus comm. libri Regum feria III die XI mensis nissan anni orbis conditi 5227 ».

COD. 647

R. IMMANUEL FIL. SALOMONIS *Liber Mechabberòth* seu *poeticarum Compositionum*, membr. rabb. 4.° sec. XIV.

Constat opus sat celebre et in suo genere insignissimum compositionibus XXVIII, sed codex non nisi XXVII continet, in quarum ultima quaedam etiam desunt. De eo Wolfius T. I p. 951, et III p. 880. Carmina punctis insigniuntur, ut in editione CPolitana, collatusque textus cum Brixiensi ab eo aliquando dissentit, in rebus tamen exigui momenti. Quasdam compositiones seorsim descriptas exhibent cod. 402 et 1055.

COD. 948

PARASCIÒTH et APHTARÒTH seu *Sectiones Pentateuchi* ac *Prophetarum dierum festorum*, memb. rabb. 4.° min. an. 1265.

Quaedam sectiones habent etiam Targum, character est hisp. adhaerebantque libro rituum eadem manu conscripto, qui annum èxhibebat ad calcem 5025. Extant sub finem notae venditionis an. 147, 152, Ch. 1387, 1392. Rariorem sistit lectionem in *Scholiis crit.* Deut. XXXIII 4.

COD. 649

PENTATEUCHUS cum *Targum* alternis versibus, memb. germ. in fol. vel 4.° max. 2 col. seculi XII exeuntis vel ineuntis XIII.

Olim Kenn. 416, quem recte Kennicottus boni pretii appellat, et exeunti XII seculo assignandum conjicit. Incipit Exod. XXX 3, et desinit Deut. XXXII 29. Nullam habet masoram, kerì rarissimum, et singularis est Num. IV 22, 41, Deut. II 8, VIII 18, XXII 13.

COD. 650

R. SALOMONIS BEN ADÉRED *Toràd abaith, Lex domestica,* ubi de domesticis ritibus, membr. et bomb. rabb. fol. min. init. sec. XIV.

Codex sane vetustus ad auctoris ipsius aetatem, ut videtur, referendus, qui dies suos protraxit usque ad an. 1308. Antiquus qui occurrit, libri titulus est *Liber legis domesticae quem aedificavit Salomon ben Adered*. Forte ex consimili titulo suo codici adscripto auctoris autographum credidit Oppenheime-

rus. Vide Wolf. T. III p. 1020, de hac codicis praerogativa silente novo catalogo a Seligmanno edito ad bina quae memorat, hujus libri exemplaria. Post eum titulum seriori charactere bina antiquorum possessorum conspiciuntur testimonia, alterum Jacobi filii Mosis de Ancona anni 182, Ch. 1422, alterum Leonis Sini de Colonia Ferrariae datum die XX tisrì anno ע״ף 80, Ch. 1319, in quo auctoris nomini consueta benedictionis, ut defuncti, sigla subjicitur, et mendosus annus emortualis 1328, qui typographico errore Wolfio irrepsit T. III pag. 1019, emendatur.

COD. 651

R. MEIR FILII BARUCH *Quaesita et responsa*, memb. rabb. in 4.° sub fin. sec. XIII vel initium XIV.

Mss. extare in Vaticana notant Bartoloccius, ac Wolfius, qui et responsa multa inter ea R. Meir Rothenburgensis, quae an. 1608 Pragae edita sunt, locum habere subdit T. III p. 669, ut monuimus ad cod. 214. Sunt numero 557, quorum omnium index praecedit, nec omnia hujus auctoris, immixtis interdum quaesitis ac responsis aliorum rabbinorum. Initialia verba passim colore distincta.

COD. 652

ANONYMI *Chidduscìn*, seu *novellae observationes in Bavà metzià*, seu *Portam mediam*, memb. rabb. 4.° sec. XIV.

Qui est tractatus, sive liber secundus ordinis talmud. Nesikin, de damnis. Habet ad marg. crebra scholia alia manu addita ad libri supplementum.

COD. 653

MACHAZÒR seu *Brev. precum* germ. ritus cum nonnullis *Sect.*, *Pent.* et *Proph.*, *Psal.* occurr., *Pirkè avoth* et *Comm.* R. Jonathan, memb. germ. 4.° maj. an. 1453.

Praecipua precum exordia aureis condecorata sunt litteris in fundo caeruleo, reliqua majoribus sive nigro atramento, sive etiam rubro colore, quo et exprimuntur saepe integrae lineae. In Agadà extant et plures hominum figurae, sed rudes, in exteriori vero marg. Jonathanis cujusdam commentarius ineditus et ignotus. Biblicae sectiones paucae, sed psalmi multi, preces non paucae singulares, rariores, antichristianae. Sub finem maharivìm et post jotzèr diei VIII succòth occurrit librarii nota, qua dicuntur eae preces » absolutae feria IV die VIII mensis av an. 210 (Ch. 1450) anno jubilaci hic in synago-

ga sancta Ulmae juxta ritum hic receptum », alia vero ad calcem, qua » finitus dicitur liber ac completus auxilio Dei, qui benedicatur et exaltetur in aeternum, hodie die xvI mensis adar an. 213 min. supp. hic in urbe טרויזיא Tervisii ». Scribam autem Mosem quemdam fuisse colligitur tum ex init. litteris quae nomen hoc alicubi sistunt, tum ex rubro charactere quo multoties distinguitur.

COD. 654

MACHAZÒR *Rosc ascanà* et *Chippùr* seu *novi anni* et *diei expiationis*, ritus ut videtur, poloni, cum *Sectionibus Pent.* ac *Proph.*, et *Psal.* occurr., et *Comm. kruvatz*, memb. fol. 2 voll. an. 1304.

Litteris quidem rabbinicis, sed multae sectiones biblicae quadratis germanicis. Frequentissimi ac perpetui extant in exordiis precum et sectionum ornatus varii coloris, initialia verba majuscula, semel aurea, crebra ad marg. scholia ac notae ex variis libris desumptae, hacque explicit epigraphe: » Ego Isaac fil. R. Joseph scripsi hoc Machazor ad usum sapientis R. Nathanael fil. R. Salomonis ex Kruvatz initii anni et diei expiationis, selicòth et pizmonìm, ac commentario, absolvique illud die IX jiar feria v an. 5064 a creatione mundi, ut supputamus hic Tatartii ». Eadem aera legitur ad calcem I vol. sed dicitur conscriptum in gratiam R. Isaaci filii Biniamini.

COD. 655

R. SIMEONIS *Commentarius in Machazòr*, seu *Preces, Sectiones, Ritus* in eo occurrentes, memb. rabb. fol. maj. 3 col. initio sec. XIV.

Quis Simeon ille sit, non liquet. Leguntur et sedarim, seu ordines R. Avitòr fil. Josephi, scriptoris Wolfio ignoti et alia aliorum. Postrema inediti hujus operis ac diffusi folia alia manu, sed antiqua, rescripta sunt.

COD. 656

PENTATEUCHUS cum *Targum, Aphtaròth, Cantico canticorum, Ruth et Comm.* Jarchì, memb. germ. 4.° init. sec. XIII.

Forte etiam exeuntis XII. Incipit Exod. XVI 36 et explicit Ruth IV 10. Sacer textus vetustate detritus est, novoque saepe atramento obductus, recentius targum et comm. jarchì, adest masora parva sed rarior, frequentesque in textu abrasiones priorum verborum ac liturae occurrunt. Unic. Lev. XXI 21, Num. I 10, XXVI 36, Deut. XXVIII 14, fere unicus Gen. XXVI 33.

Cod. 657

R. Salomonis Jarchì *Commentarius in Pentateuchum*, membr. rabb. in fol. min. vel 4.° maj. an. 1480.

Insigniter ab edito discrepans. Primum folium deficit, majoribus litteris incipiunt libri ac sectiones, hacque desinit scribae nota: » Ego Mardochaeus fil. Levi Chelpan, quem Deus servet, scripsi hunc Comm. Pentateuchi pro R. Jechiel. Eum autem scripsi hic in urbe Anconae, absolvique hodie feria III, quae est decima dies mensis nissan an. 5240 ».

Cod. 658

R. Isaaci Abrabanelis *Commentarius in Genesim*, chart. rabb. in fol. an. 1522.

Legitur ad calcem: » Absolvique illum in urbe Neapolis... anno 5282, seu anno *Et domum gloriae meae* אפאר *glorificabo* ». Hanc eandem aeram ipsissimis verbis exhibet editio Veneta anni 1579, quumque Neapolis hic memoretur, ubi nonnullos alios libros absolvit Abrabanel, soleatque is sub librorum finem annum designare absolutae eorum compositionis, de anno compositionis secure epigraphem interpretati sunt Venetus editor, et auctor *Korè adoròth* fol. 29 b. Quo quidem nihil absurdius; nam certum est omniumque consensione probatum Abrabanelem multo antea, videlicet an. 5268, Chr. 1508, Venetiis decessisse. Nec in anno cubat error, ut ego quidem primo suspicabar, quum bis is constantissime et clarissime tum in codice, tum in editione exprimatur, primo quidem totidem verbis, non numericis siglis, deinde vero proposito ex Ezechielis textu vocabulo אפאר. Nec tandem Neapoli, sed Venetiis primos quatuor Pent. libros auctor absolvit, ut notat Aboabus in *Nomologia* p. 303, constatque ex nota Exodi, in qua dicitur finitus Venetiis anno 266, Chr. 1506. Quam notam ignorans Majus, parum accurate in Abrabanelis *Vita* pag. 9, statuit eos libros Monopoli anno 1496 fuisse conscriptos. Deuteronomium autem ibidem non scripsit, ut asserit Majus, sed tantum supplevit, quum Ulyssipone jam dudum illud elaborasset, sicque intelligenda auctoris epigraphe, quam referens editio Veneta male annum expressit רכ"ו 226 pro רנ"ו 256, ut emendate legitur in Sabionetensi. Quod et testatur Abrabanel ipse in praefatione ad hunc librum, ut Wolfius animadvertit T. I pag. 631, sed in iis quae hic subdit *in fuga amisis-*

se, tandem vero Venetiis, ubi eum an. Chr. 1496 absolvit, recepisse, bina sunt castiganda. Etenim commentarium illum diu amissum non Venetiis, sed Corcyrae reperit ac recepit, nec aliter Abrabanelis praefatio testatur, ad quam Wolfius provocat, nec illum Venetiis, sed Monopoli, ut diximus, absolvit. Mirum porro est eam Exodi notam non Majum modo, ac Wolfium ceterosque omnes bibliographos ignorasse, sed et auctorem ipsum praefationis ad Abrabanelis librum *Majenè ajescuàh* R. Baruch, qui omnium primus et ceteris accuratius de nostri auctoris fatis ac scriptis conscripsit. Wolfius autem quod iterum miror et quidem summopere, reliquas fere omnes notas omisit, compositionis tempus et locum respicientes, ac si ad ejus institutum vel litterariae historiae illustrationem non facerent, etsi earum pleraeque vel in editionibus ipsis haberentur, vel in commemorata Baruchi praefatione, qua utebatur. In iis autem quas refert, plerumque crassissime hallucinari, confuso editionis anno cum anno compositionis, luculenter olim ostendimus in disquisitione nostra historico-critica *De hebraicae typographiae origine* p. 79, 81, 82, et in *Annal. heb. typ. sec. XV* p. 163, 165, 172, 173. Nec instituti nostri est ea repetere quae diximus, vel singula persequi, in quibus a bibliographis erratum sit Abrabanelis scripta recensentibus. Quum de Pentateuchi commentario potissimum agamus, illud unum monere sufficiat Venetam editionem an. 1584, quam Eisenmengerus, Carpzovius, Wulferus, Wolfius, aliique memorant, et ex recentioribus Rodriguez de Castro in *Bibliotheca rabb. hispana* fol. 348, et Boissi *Dissertations pour servir à l'Histoire des Juifs* T. II p. 254, falsam prorsus esse ac supposititiam. Omnes annum majoris supputationis qui legitur in editione Veneta an. 1579 quae ad manus extat, pro minori acceperunt, sive annum 5339 pro anno 344, male assumpto ה pro quinque unitatibus, qui aperte quinque millenaria indicat, ut patet ex verbis quae sequuntur *a creatione mundi*. Nec Wulferus, ut perperam subdit Boissi, interpolationis exempla proferens, editionem hanc cum Veneta alia contulit in *Animadversionibus ad Theriacam judaicam* p. 206, sed cum Sabionetensi solius Deuteron. reapse integriore, ut observavimus in *Annalibus hebraeo-typographicis Sabionetae*. Quamobrem rectissime unam tantum Venetam

editionem praecedentis anni 1579 agnoscunt Bartoloccius, Sabtaeus et Bashuysenius. De qua aliam adhuc hallucinationem notare liceat *Catalogi of the library and oriental mss. of the Edward Wortley Montagu*, quae in errorem doctissimum Eichornium pertraxit. Inter impressos libros, inquit is in *Biblioth universali litterat. biblicae*, quae germanice editur T. I p. 725, extat unus hucusque omnino ignotus *Pentateuchus arabice cum commentario Abravandt Ven. 5339 folio*. Designatio ipsa loci, anni, formae et manifesta nominis depravatio sat superque putidum illius Catalogi erratum prodit Venetam Abrabanelis ejus anni editionem pessime describentis. Cujus editionis aera, ut ad eam tandem revertamur, cum codice nostro consentiens quum ad auctorem nequeat referri, et de ejus compositione, ut vidimus, intelligi, dicendum est editorem eam ex ms. ipso codice exscripsisse, qui est editione ipsa antiquior et ejus aetatis, codici autem scribam apposuisse, ut annum designaret, quo illum absolverat. Insignem alium hujus generis scribae anachronismum continet codex Escurialensis commentarii Abrabanelis in Isaiam, si is quidem anno 1490 exaratus est, ut refert Rodriguez de Castro in cit. *Bibl. rabb. hisp.* p. 351, quum nonnisi anno 1496 eum commentarium Corcyrae auctor incoeperit. V. praefationem ad Majenè jescuà.

Cod. 659

Preces Chippur seu *Diei expiationis* germ. ritus cum *Jona*, *Sectionibus* variis *biblicis* et R. Jeh. Chasid *Cantico unitatis*, memb. germ. fol. vel 4.° maj. sec. XIV.

Rubro-nigrum atramentum perpetuo alternatim adhibetur, occurruntque litterae majusculae figuratae et ornatae varii generis ac coloris elegantissimae, passim etiam varia animalia. Desunt sub finem nonnulla.

Cod. 660

1.° R. Mosis Maimonidis *Morè nevochìm*, *Doctor perplexorum* ex versione R. Samuelis aben Tibbon et cum ejus praefatione.

2.° Ejusd. Tibbonidis *Observationes* et *Scholia in eundem librum*.

3.° R. Mosis fil. Jehudae *Dissertatio in lib. Morè*.

4.° Anonymi *Concordantiae* et *notae in lib. Morè*.

5.° R. Samuelis aben Tibbòn *Expositio vocum peregrin.* et *obscuriorum libri Morè*.

6.° *Expositio eorum quae scribit Maimonides de rationibus praeceptorum*.

7.° R. Jehudae Charizii *Index locorum sacrae Scripturae quae producuntur et illustrantur in libro Morè*, chart. vel bomb. rabb. in fol. an. 1472.

Magni faciendus codex propter usum criticum crebrasque notas marginales, variasque lectiones sive textus, sive alior. exemplarium, quae suppeditantur. Primo folio haec inter ceteras veterum possessorum nota conspicitur: » Ad me pertinet Baruch fil. Samuelis de Peschera fel. mem.. Describendum eum curavi in mei usum an. 232 min. supp. hic Mantuae ». At vero uberior extat ad libri calcem amanuensis epigraphe: » Ego Judas fil. R. Meir Raphael fel. m. scripsi hunc librum Morè nevochìm in gratiam domini Baruch fil. R. Samuelis, cujus requies sit in paradiso, de Pescheras, complevique illum feria II, die XLVIII numerationis omer an. 5232 a condito orbe hic Mantuae ». Infra minori charactere notatur Tibbonidis versionem factam fuisse anno 965 quinti millenarii. Post ejusdem Tibbonidis observationes vel scholia, quae in aliis codicibus ad marg. exhibentur, in hoc ad calcem reservantur, occurrit R. Mosis fil. Jehudae מאמר במערכה *Dissertatio de ordine*, vel dispositione capitum libri. Asserit is se esse unum ex servis ac domesticis auctoris fidelioribus, hocque mandatum ac provinciam a Maimonide ipso accepisse. De hoc auctore Wolfius T. I p. 825 et IV p. 911, ejusque opusculum videtur ineditum diversumque ab eo, quod sistit codex Bodlejanus, posteriori loco a Wolfio relato, quod indicem capitum continet et argumentorum, et aliter incipit, nisi tituli discrimen, quod suspicor, ab amanuensi sit repetendum. Ineditae etiam videntur concordantiae illae ac notae quae sequuntur in binas priores libri partes cujusdam R. יל״ע, nisi sub hac sigla indicetur R. Joseph levita fil. Isaaci, haeque notae partem efficiant ejus commentarii in Morè nevochìm, qui sub titulo גבעת המורה prodiit Pragae an. 1612, teste Wolfio T. I p. 536.

Cod. 661

Pentateuchus, membr. germ. 4.° 2 col. sec. XIII.

Prima Genesis dictio majoribus exarata litteris cum ornatu varii coloris, qui et in exordiis ceterorum librorum ac sectionum conspicitur, retentis tamen in ceteris minoribus initialibus, ut fit in mss. hispanicis. Fere unicus ac singularis Gen. IV 11, XLIV 34, Exodi X 24, ac perrarus Num. XXVII 23.

Cod. 662

Aphtaròth seu *propheticae Sectiones totius anni*, membr. germ. 4.° an. 1477.

Rubro charactere, quo et tituli sectionum conscripti sunt, haec ad calcem leguntur: » Ego scriba Eleazar fil. R. Josephi fel. m. germani scripsi has Aphtaras in gratiam R. Jekuthiel fil. R. Mosis, illasque absolvi feria vI die xxiiI mensis tamuz an. 237 m. supp. in urbe Asculi ».

Cod. 663

Prophetae priores ac posteriores, seu *Josue, Judices, Samuel, Reges, Jeremias, Ezechiel, Isaias, xiI Minores* cum *Commentario* Jarchì, membr. semirabb. fol. min. vel 4.° maj. sec. xiiI.

Incipit Josue iiI 14 ac desinit Malach. I 4. Hoc ordine quem in descriptione vel titulo sequimur, procedunt posteriores Prophetae, ut Jeremias ducat eorum agmen, Isaias vero tertium occupet locum. Uberrimum esse singularium variar. lectionum fontem edita nostra collatio demonstrat, in qua unicum esse reperies iI Sam. viiI 1, xviiI 32, iI Reg. x 2, xviiI 34, xxiI 13, Isai. iv 5, xxix 16, xxx 12, xxxix 1, Jerem. xx 4, xxxvI 3, Amos viiI 14, Mich. iI 4 bis, fere unicum iI Reg. x 26, Isaiae xxxviiI iI, Jer. xlix 22, rarissimum Isai. xxxviI 24, xlviI 13, lxI 8, Ezech. xlv 1, xlviI 5, Ose. xI 3, Mich. v 3. Quodque nostri codicis pretium magnopere auget, in nonnullis ex productis locis, ut iI Reg. x 2, xviiI 34, xxiI 13, Jerem. xx 4 et xxxvI 31, unicus est ex collatis omnibus codicibus, qui consentiat in singulari lectione cum binis primariis editionibus Soncinensibus, integrorum Bibliorum 1488, et Prophetarum priorum ac poster. an. 1486, adeout non temere conjiciatur earum autographum, vel unum saltem ex autographis extitisse. Nam Ken. 253 qui in iis locis producitur, ex Bibliis ipsis Sonc. haustus est.

Cod. 664

R. Alphes *Talmudici tractatus varii abbreviati* cum *scholiis* R. Salom. Jarchì, memb. rabb. 4.° sec. xiiI.

Idest Jevamòth, Kidduscin, Cheduvòth, Ghittin, Sahedrìn, Maccòth, Scevuhòth, Avodà zarà. Extant ad marg. scholia ex Jarchio deprompta in priores tres tractatus, et ex initialibus litteris alicubi notatis proditur nomen Mosis scribae.

Cod. 665

Aphtaròth, *propheticae Lectiones totius anni*, memb. germ. 4.° 2 col. an. 1451.

Legitur ad calcem annus 211 sexti millenarii, feria v die XIX mensis tertii, absoluti videlicet codicis, pagina vero postrema variae occurrunt possessorum notae, quarum binae priores sunt an. 249, 239, Ch. 1489, 1479.

COD. 666

PROVERBIA cum *Commentario* R. Immanuel fil. Salomonis, memb. 4.° 2 col. sec. XIV.

Quadrato charactere germ. cum punctis quoad textum, rabbinico quoad commentarium, utroque eleganti. Primum tamen folium antiqua posteriori manu, eaque inelegantiori rescriptum est. Nullam sui notam librarius reliquit, sed sola verba. » Benedictus misericors qui adjuvit nos ».

COD. 667

BIBLIA, seu *Prophetae omnes priores, posteriores, Agiographa,* membr. rabb. 8.° 2 col. an. 1280.

Ornatu rubri caeruleique coloris tituli insigniuntur, illudque singulare, quod, quamvis antiquus sit codex, habet libros superius perpetuo indicatos et capita ad marg. numerata. Masora nulla, kerì non adeo frequens, poetici libri divisi ad instar versuum, sed nulla servata metri vel hemistichiorum ratione, agiographorum ordo masoreticus et hispanicus, ac Paralipomena prima in eorum ordine, haecque ad calcem certa librarii nota: » Absolutum est porro totum artificium, quod feci in hoc libro, ego Jekuthiel fil. R. Jechiel fil. R. Jekuthielis fil. R. Biniamini Rophè feria III die XXI mensis scebat a. 5040 a creatione mundi, scripsique eum pro praeceptore meo amicissimo R. Joab fil. R. Biniamini fil. R. Salomonis fel. m. ». Amanuensis videtur filius auctoris libri Mahalòth ammidòth, de quo diximus ad cod. 151, et sub libro Tania ad cod. 190, quem ei tribuendum esse perperam conjicit auctor Seder adoròth. Unus e perpaucis codicibus, qui Psal. XXXVI 2 habeat lectionem לבו, veterum interpretum auctoritate suffultam, et a doctioribus hodiernis criticis communi antepositam. Est et fere unicus in *Scholiis criticis* I Sam. II 24. Rariores alias lectiones fovet Ezech. XVI 39, Psal. X 5, CXXVII 2, Prov. XXVI 2.

COD. 668

PENTATEUCHUS, memb. rabb. 8.° col. sec. XIV.

Majusculae ornataeque sunt litterae vocabuli berescith, a quo incipit Genesis, initiales reliquae majores. Exodus inscribitur liber secundus, Leviticus tertius ec..

In prioribus libris extat masora parva, interdum et magnae vestigia, ante Leviticum typus tabernaculi et areae, sacrorumque instrumentorum rubro ac viridi colore delineatus a Joabo filio Danielis, qui et videtur codicis scriba. Nam ad calc. extat ejus nota, qua testatur Pent. hunc vendidisse R. Sal. fil. Sedeciae, statutumque pretium rite ab eo accepisse. Supra nota alia occurrit nati filii an. 186, Ch. 1426. Unicus Ex. xxiiI 13, ac perrarus in *Scholiis crit.* Ex. xxxI 14.

Cod. 669

Pentateuchus, memb. rabb. in 8.° sec. xiiI.

Tikkun sopherìm, seu scribarum norma, sine punctis, initiales majores, varia folia in medio et ad calcem alia manu suppleta, sed antiqua, scatet omissionibus adeoque negligenter scriptus, servat tamen multas insignes ac singulares varias lectiones, quarum loca indicavimus in clavi codicum. Unicus est codex, qui in iis cum vetustissimis interpretibus consentiat. Adde jam et unicum esse, qui Sam. textus lectionem tueatur Num. xxiv 23.

Cod. 670

Proverbia ac Psalmi, memb. germ. 12. 2 col. sub fin. sec. xiiI vel in. xiv.

Postrema Prov. folia alia manu rabb. charactere suppleta. Unicus Psal. xxxviiI 15, xliI 12, xlv 14, cxv 9, ac fere unicus Ps. xxxiI 5, lix 11, perrarus cxl 5.

Cod. 671

Siddùr, seu *Ordo precum* cum *Sectionibus variis biblicis* ac *Psalmis* occ., memb. rabb. 16. sec. xv.

Minio et auro ornatus titulus, initiales autem rubro viridique colore exaratae.

Cod. 672

Psalterium, memb. rabb. 12. sec. xv.

Sine punctis, et in v libros divisum elegantibus miniaturis in fronte condecoratos.

Cod. 673

Aphtaròth, seu *propheticae Lectiones*, memb. hisp. 4.° sub fin. sec. xiI vel initium xiiI.

Vetustus codex, sed sub initium ac finem mutilus.

Cod. 674

Pentateuchs cum *Aphtaròth*, *v Meghillòth*, et *Masora*, memb. hisp. in f. an. 1447.

Luculentissimus hic codex, quem nos ex cl. Crevenna, quem in italico itinere nuper immaturo fato defunctum dolemus, ipse vero ex Metelburgo Zelandiae urbe a Jacopo Willemsen verbi divini

ministro ac theologiae professore acceperat, pertinebat olim ad doctissimum Bashuysen, qui eum recenset lib. I *Observ. sacrar.* p. 125, fuitque etiam ad manus cel. Majo in sua heb. Bibliorum editione adornanda. Conferatur ejus praefatio ad *Bibl. hebr.*, Carpzovius *Critica sacra* p. 374, Simonis *Introd. in ling. heb.* p. 256, ac Wolfius praesertim *Bibl. heb.* T. II p. 301, ubi integram inscriptionem sibi a Bashuysenio communicatam hebraice profert. Praecedunt totidem elegantibus tabulis variae lectiones ben Ascer et ben Naphtali in Pent. et chronologia sacrorum librorum, masora ingeniose disposita, haecque ad calcem legitur epigraphe perpulchro clausa ornatu: » Ego Salomon fil. R. Josephi Gabli scripsi, et masora punctisque instruxi hunc Pentateuchum pro excell. don Salom. Chasdai, et absolvi illum hic קלעה איוב init. mensis sivan an. 5234 a creatione mundi ». Unicus Num. XXXII 25. Kalhad Jub seu Arx Jobi est antiqua Biblis patria Martialis in regno Arragoniae.

COD. 675

R. DAVIDIS KIMCHÌ *Commentarius in Psalmos*, memb. et bomb. rabbin. in fol. min. vel 4.° maj. exeuntis sec. XIII vel ineuntis XIV.

Aliquando notantur ad marg. variae aliorum codicum lectiones. Antichristiana loca superinducto atramento deleta, deficitque finis psalmi postremi et si quae ab initio erat, epigraphe.

COD. 676

R. JEHUDAE LEVITAE *Liber Cuzarì* hebr. versus a R. Jeh. ben Tibbòn, memb. rabbin. 12. sub fin. sec. XIV vel initium XV.

Primo folio venditionis nota occurrit diei XVI marchesvàn an. 191, Chr. 1430, pagina vero versa titulus Cuzàr ornatu circumseptus non ineleganti. Sequitur textus ex versione Tibbonidis cum variis quibusdam lectionibus ad marg. ex aliis codicibus depromptis, aliisque non paucis in textu ipso obviis.

COD. 677

AGIOGRAPHA, seu *Ruth, Psalmi, Job, Proverbia, Threni, Canticum canticor., Ecclesiastes, Esther, Daniel, Esdras, Nehemias, Paralipomena*, memb. germ. in 8.° 2 col. an. 1325.

Codex nitidus sine punctis, cui aureus hic titulus praefigitur: » Ordo v Meghillòth, Psalm., Prov., Jobi, Dan., Esd. Paralip. an. 85. m. sup. » Aureis etiam litteris et ornatu distinguuntur librorum exordia, singularis est eorum

ordo, libri poetici hemistice exarati, ad calcem vero alia manu, et charactere rabbinico iterum occurrit Canticum canticorum usque ad IV 3. Est Kenn. 566.

Cod. 678

Pentateuchus, membr. hisp. 4.° 2 col. sec. XIV.

Incipit Gen. XXXV 27, ac desinit Deuteronomii XXIV 10. Nullam habet masoram, sub finem vero Numerorum extat nomen scribae Samuelis Lukar Levitae. In plerisque foliis margo recisus.

Cod. 679

Libri Samuelis ac Regum, membr. hisp. 4.° 2 col. sec. XIII.

Sive potius italico charactere, nam litterae a simplici elegantique forma hisp. paullulum deflectunt. Incipit I Sam. VI 12, et desinit II Reg. XXII 19. Nullae initiales majores, nulla masora, fere nullum kerì, unicusque est codex I Sam. XXII 10, II Sam. VIII 18.

Cod. 680

Job et Daniel cum *Masora*, memb. ital. 12. sec. XIII vel initii XIV.

Habet et postremos versus Prov., titulos auro minioque expressos, explicitque Dan. VIII 16.

Cod. 681

Psalterium, memb. rabb. 16. an. 1501.

Incipit Psal. III 6, hacque explicit librarii nota: » Absolutum porro est opus sanctum feria VI die VIII mensis adar II an. M. 5261 per manum minimi Menachèm Coèn fil. Jacobi fil. Salom. de Terracina ». Fere unicus Psal. XXXII 5.

Cod. 682

R. Sal. Jarchì et Abr. aben Ezrae *Commentarii in Pentateuchum*, memb. rabb. in fol. 2 col. an. 1312.

In interiori parte extat Jarchianus commentarius in binas columnas divisus, exterius ad marg. Aben Ezrae, a cujus praefatione codex incipit. Ad calcem primi haec leguntur: » Finitus est die XXIII mensis adar an. 72 min. supp., contulique illum vel examinavi cum binis codicibus juxta assequutionem, vel facultatem cognitionis meae ab initio ad finem. Deus dignum me reddat in eo meditandi, me et semen meum amen. Pars autem mei Jekuthiel הנקדן typographi abscondita sit cum justificantibus multos, sive populum ». Mirum ac singularissimum a scriba usurpari nomen meckokèk, leges exculpentis vel exarantis, procul dubio ex

Gen. XLIX 10, quod multo post, inventa typographia, solis hujus artificibus commune evasit. Sub finem vero commentarii Aben Ezrae aliam librarius epigraphem posuit, qua asserit eum absolvisse die XVII mensis chislev an. 73, plenius subjecto nomine suo Jekuthiel fil. Mescullam. Sequuntur binis foliis scholia quaedam in Jarchii commentarium selecta vernacula vocabula vel difficiliora loca explanantia.

COD. 683

PENTATEUCHUS et AGIOGRAPHA omnia cum utraque *Masora*, membr. germ. 8.° 2 col. ac 2 voll. sec. XIV.

Nitidissimus cum figura candelabri primisque Geneseos litteris auro puro elaboratis, sed indiligenter scriptus. Notat interdum ad marg. aliorum codicum, Hierichuntini potissimum, varias lectiones, pluresque servat in textu ipso, praesertim Agiographorum, egregias ac singulares. Praeter bina quae in clavi annotavimus, Exodi ac Levitici loca, unicus est Num. XXI 18, Psal. LIII 5, LXXXIX 46, II Paral. VI 12 bis, et XXII 6, fere unicus Psal. LV 22, unus e paucissimis Psal. XXV 5, XXVIII 8, CII 8, Esd. X 16, I Paral. VIII 37. Ac Psalmo quidem XXV 5 unicus est ex meis codicibus, qui sextum versum restituat incipientem a littera vav, qui in alphabetico hoc Psalmo ob exiguam ejus litterae transpositionem desideratur, ut ad h. l. observavimus. V Meghillòth praecedunt psalmos, desinitque II Paral. XXXV 12.

COD. 684

1.° R. SAL. GAVIROL fil. Jehudae liber *Tikkùn midòth*, seu *de Virtutibus* a R. Jehudà ben Tibbòn hebraice versus.

2.° R. BECHAI FIL. JOSEPHI *Chovàd allevavòth*, seu *Debitum cordium* ex hebr. versione ejusdem Tibbonidis.

3.° R. BECHAI FIL. JOSEPHI *Tochechà*, seu *Orat. ad Deum*.

4.° Ej. *Bakascà*, seu *fusa ad Deum Deprecatio*, memb. rabb. 4.° min. sec. XIV.

Gavirolii liber dicitur in fronte ab auctore elaboratus in urbe Caesaraugust. mense nissàn anno 805, V videlicet millenarii, Chr. 1045. Wolfius de hoc libro agens T. I p. 1045, hancque aeram referens ex lemmate editioni ipsi praefixo, scribit 808, Ch. 1048, quod iterum repetit T. III p. 1029, ex indubio hoc testimonio ad eum annum referens auctoris aetatem. Sic reapse per chet legit edit. Ripae Tridenti an. 1562, quam Wolfius habebat prae manibus, sed ex solius procul dubio typographi oscitantia

et errore. Nam codex noster sat diligenter conscriptus apertissime habet he, seu quinque, hancque lectionem confirmat alter ex nostris codicibus, videlicet 1246. Auctor *Koré adoroth* habet et ipse fol. 7 b arabice opus primum fuisse ab auctore scriptum anno 4805, hebraice vero vertisse R. Jehudam ben Tibbòn an. 4927, Chr. 1167. Atque arabice a Gavirolio compositum', hebraiceque a Tibbonide versum confirmat Azulai in II P. *Scem aghedolìm*, idque multo ante ex titulo, ut videtur, CPolitanae quam recensebat, editionis monuerat *Catalogus bibl. Leidensis* p. 271. Non erat ergo, cur de hoc dubitaret Wolfius priore loco. Ac dubium quidem omne ei exemit quoad primum caput arabicum exemplar bibl. Bodlejanae ex Gagnerii *Indice* a se allatum T. III p. 1030, in quo tamen mendose admodum, quod Wolfius non animadvertit, annus describebatur. Sed hebraicam interpretationem Jehudae Tibbonidis esse non videtur sibi persuasisse, quum ubique sub hoc auctore eam versionem omiserit. Perperam etiam conjicit Wolfius eodem vol. III p. 1032 in exemplari quod apud Jehudam Mutinensem viderat Plantavitius, auctoris nomen expressum fuisse R. Salomon ben Gabriel. Exemplar illud ad editionem Ripae Tridenti pertinuisse patet ex titulo נזרן נבון, quem praeseferebat, in ea autem editione, quae ad manus est, non Gabrielis, sed Gavirolii nomen legitur. Extant sub operis initium ad marg. suppleti versus nonnulli, qui in editione ad calcem occurrunt.

Cod. 685

Liber tachanunìm, sive *Deprecationum* cum variis *Psalmis*, membr. rabb. in 4.° init. sec. XIV.

Inter eas occurrit carmen Aben Ezrae, quod incipit אעירה, subque initium metrica alia et alphabetica oratio codici praemissa posteriore manu, pag. vero versa alia, cujus initiales dant nomen Danielis. In nonnullarum exordiis rubrum atramentum adhibitum.

Cod. 686

R. Abr. Aben Ezrae *Commentarius in Pentateuchum*, membr. rabb. in folio anni 1294.

Antiquus ac pretiosus codex, integrum accurateque descriptum exhibens Aben Ezrae textum. Quaedam tamen loca nobis opposita a censoribus deleta. Ad calcem: » Scripsi hunc commentarium V librorum legis R. Abr. aben Ezrae in gra-

tiam domini mei... finemque ei imposui die xviiI mensis chislev anno 5055 a creatione mundi ». Abrasum nomen ejus, qui conscribendum curavit, et sub initium ipsius scribae. Sub finem Exodi extat in hoc codice nota de absoluto ab auctore hujus libri commentario anno תתקי״ג, seu 913 quarti millenarii, Chr. 1153, qua liquido refutatur eorum opinio, qui putant illum anno 4908, seu nostro 1148 supremum diem obiisse. Deest haec nota in multis, ac plerisque codicibus, sed eam servat etiam princeps nostri commentarii editio Neapolit. anni 1488, ut monemus in novis nostris *Annalibus hebraeo-typ. sec. xv*, et ex sequentibus binae CPolitanae, an. 1514 et 1522, quarum alteram memorat Wolfius, emendata mendosa aera quam primum constituerat, alteram ignorat.

COD. 687

ANONYMI *Pèdach devarai* seu *Initium verborum meorum*, cum *Scholiis* marginalibus, membr. rabbin. in 8.° seculi xiv.

Egregium opus grammaticum auctoris hispani, sed ignoti. Vide Wolfium T. iI pag. 1412. Nescio quo jure Mosi Kimchio tribuant Sabtaeus et auctor *Seder adoròth*, quum ille aliud simillimum opus jam ediderit sub titulo *Maalàch scevilè adàhath*. Quod autem legitur discipuli Mosis ben Chavivi nomen ad calcem principis editionis Neap. an. 1492 paucis abhinc annis a nobis erutae, quam in *Annalibus hebraeo-typ. sec. xv* illustramus, illud non de auctore libri, sed de ejus editore, ut ibidem monemus, intelligendum est. Recentior enim est Moses ille et xv seculi ad finem vergentis, liber autem ipse multo antiquior.

COD. 688

PENTATEUCHUS ac PROPHETAE PRIORES, seu *Josue, Judices, Samuel* ac *Reges* cum *v Meghilloth* et *Aphtaròth dierum festorum*, membran. ital. 4.° 2 col. sec. xv.

Rudis tamen character, et in nonnullis litteris vergens ad germanicum. Legitur sub initium nomen Eliezeris Latas antiqui possessoris, initiales minores sunt in Pent. libris, majores in reliquis, masora nulla, nullum kerì, variationes non infrequentes, unicus Habac. iiI 5, fere unicus iI Reg. xviI 13, unusque e paucis Eccle. I 17.

COD. 689

EZECHIEL ac xiI PROPHETAE MINORES, membr. hisp. 12. sub fin. sec. xiiI vel in. xiv.

Incipit Ezech. XXII 3, et desinit Zach. IV 5. Fere unicus cum Pisaur. editionibus, LXX et Arabe Amos I 4.

COD. 690

R. MOSIS NACHMANIDIS *Sàhar aghemùl*, seu *Sectio de retributione*, membr. et chart. rabb. in 4.° sec. XV.

COD. 691

R. BINIAMINI FIL. JEHUDAE *Comment.*, sive *Scholia in Libros Paralip.*, membr. rabb. fol. 2 col. sec. XIV.

De hoc reliquisque commentariis Biniamini nostri editis et ineditis quaedam annotavimus ad cod. 308. Noster hic, ad ineditorum classem referendus, non modo litteralis est, sed et criticus, saepeque in conciliandis nostrorum librorum cum reliquis dissidiis occupatus, quae in propriis nominibus aliisque conspiciuntur. Haec autem praefationis loco praemittit auctor: » Quum viderim homines ac sapientes ipsos arceri a discendo, immo vero a legendo libro Paralip. vel Chronicorum ob commentariorum defectum, cor meum excitavit me, Biniamin fil. R. Jehudae, ut eum exponerem juxta modulum intelligentiae vel facultatis meae, omnisque, qui eum viderit, addere ei poterit sententiam suam, suumque judicium, ut sic prodeat veritas, cunctaque ad oculum pateant. Ego nonnisi opus incipio ».

COD. 692

R. ABRAHAMI ABEN EZRAE *Comm. in Pent.*, memb. rabb. fol. 2 col. an. 1323.

Romae scriptus ab eodem scriba, eodemque charactere et anno, quo bini sequentes. Conferatur epigraphe cod. 694. Praecedit fusa oratio metrica R. Danielis filii Jechiel, cujus nomen, Wolfio ignotum, initiales ipsae versuum punctis notatae suppeditant. Commentarii titulus majoribus litteris quadratis germ. varii coloris, rudique arcu triumphali ornatus, titulo vero sectionum, saepissime et sacri textus verba rubro atramento distincta. Ad calcem: » Finitus est commentarius V librorum legis, ut eam exposuit Abraham aben Ezra... per manum Menachem Tzemach fil. Abr. fil. Biniamini fil. Jechielis. Scripsi autem illum spatio dierum viginti ». Subditur Kimchii poema ejus commentario in Psalmos praefixum.

COD. 693

1.° R. DAVID KIMCHÌ *Commentarius in Psalmos*.

2.° R. MOSIS NACHMANIDIS *Comment. in Job*, memb. rabbin. fol. 2 col. an. 1323.

Kimchii textus infinitas habet a communi discrepantias; sed posterior manus, et ipsa ceteroquin antiquissima, collatis aliis exemplaribus, illum ad marg. perpetuo supplet, mutat, emendat. Notae hae emendationesque copiosiores conspiciuntur ad Psal. xxxvI, xxxvII, et xxxvIII. Extant et inter illas scholia ex aliorum commentariis hausta, potissimum ex Aben Ezra. Antichristiana loca agglutinata charta alicubi cooperta, alicubi abrasa. Notatu dignissimum est ad Psal. II ante insignem locum nobis oppositum, qui hic glutine obducitur, ad marg. ex secunda manu suppleri ea verba, quibus proposita primum de Messia interpretatione, subdit Kimchius, sat clare quidem sic psalmum exponi, sed verisimilius esse vel magis consentaneum, quod de seipso locutus sit David. Quae ut omittebantur in nostro hoc codice sat antiquo, conjici potest a Kimchiano autographo primum abfuisse. Psalmorum tituli et initialia sacri textus verba modo rubro, modo caeruleo, saepe etiam viridi colore distinguuntur. Quod et in postremis Jobi capitibus fit. Ad calcem: » Absolutus est commentarius Job doctoris magni ac viri Dei R. Mosis fil. Nachman fel. m. per manus Menachem Tzemach fil. Abrahami Rophè vel medici, memoria justi sit in benedictione, fil. Biniamini fil. Jechielis fel. m. Eum porro scripsi anno 5083 a creat. mundi ».

COD. 694

1.° PROVERBIA cum inedito *Commentario* R. Mosis Kimchì.

2.° R. ABR. ABEN EZRAE *Comm. in V Meghillòth*, seu *Ruth*, *Canticum*, *Ecclesiastem*, *Threnos*, *Esther*.

3.° Ejusdem *Commentarius in Danielem*.

4.° R. SALOM. JARCHÌ *Commentarius in Esdram*.

5.° R. ISAIAE *Commentarius Agadae*, membr. rabb. fol. a col. an. 1323.

Ineditus Mosis Kimchii commentarius adeo rarus est, ut eum vix memoret Wolfius T. I p. 894, ut extantem inter codices Huntingtoni, et quidem extra ordinem nulloque ei numero designato, ac si de ejus existentia dubitaret. Sed extat reapse in Bodlejana a Simone filio Eliezer conscriptus sub n.° 157 inter codices hebraicos. V. Uri *Catal.* p. 28. Rythmica praecedit auctoris praefatio, in qua sub initialibus versuum litteris nomen suum occultavit. Eae enim si uniantur, dant » Ego Moses filius Josephi Kimchì hispanus. Roborare

in aeternum ». Sub finem vero quosdam versus subjecit, in quibus sub verbis משה קמחי כתב זו *Moses Kimckì scripsit hoc* punctis supra notatis annum indicat absoluti libri 938 quinti millenarii, Ch. 1178. Quod cum ejus aetate cohaeret a Tzemach David aliisque statuta, qui tradunt eum floruisse an. 4950, Ch. 1190. Hujus ejusdem auctoris extat etiam ut nuper monuimus in *Dict. hist. jud. auct.* T. I p. 19c, commentarius in Job, ineditus et ipse ac Wolfio ignotus, qui reperitur Romae in bibliotheca Angelica in ms. codice Prophetarum priorum et Agiographorum cum var. commentariis, Kenn. collationis 240, quem cardinalis Aegidius Viterbiensis a Leone x dono acceperat. Aben Esrae commentario in v Meghillòth subjiciuntur nomina virorum, qui Esdrinam academiam, vel synagogam magnam componebant, nomina auctorum singulorum librorum V. T., numerus annorum quos quilibet liber complectitur, versus tandem vel verba, quae dimidium sive integri Pentateuchi, sive cujuslibet libri denotant. Initiales librorum litterae majores sunt, varioque colore expressae, ut et prima sacri textus verba in libris, qui Proverbiis succedunt. Esdrae commentarium quaedam excipit epigraphe librarii nomen complectens, rubris litteris exarata. Folio vero seq. fusior alia ac plenior extat ineleganti circumsepta ornatu: » Feria II hebd. die XVIII mensis sivan an. 5083 orbis conditi absolvi hunc commentarium. Descripsi autem illum ego Menachem Tzemach fil. Abrahami Rophè vel medici fil. R. Biniamini fil. R. Jechielis fel. m., scripsique eum in urbe magna Romae intra spatium quatuor mensium et sex dierum . . . Hi sunt commentarii, quos descripsi, in Pentateuchum R. Abr. aben Ezrae . . . in Paralipomena R. Biniamin de Roma, in Psalmos R. David fil. Josephi Kimchi, in Job R. Mosis Nachmanidis, in Proverbia R. Mosis fil. Josephi Kimchì, in v Meghillòth R. Abr. aben Ezrae, in Danielem ejusdem, in Esdram R. Salomonis ». Sequitur R. Isaiae commentarius in Agadà ineditus ac Wolfio ignotissimus, ut et bibliographis omnibus judaeorum qui post Wolfium floruerunt, auctoribus videlicet *Kore adoroth*, *Seder adoròth* et *Scem aghedolim*. Quum simplex ac nudum tum in titulo, tum in epigraphe habeatur R. Isaiae nomen, non dubito quin R. Isaiae prioris sit, cujus sunt commentarii varii in scripturam, addita-

menta in tract. Kidduscin, aliaque opera. Vide dicta ad cod. 195. Nomini enim posterioris plerumque additur fil. Eliae, vel אחרון ad primi distinctionem. Ratio etiam ipsa operis seniorem indigitat. Folio postremo subjectum est seriori manu excerptum libri Scibbolè allèket, et expositio quorumdam verborum in libro precum occurrentium R. Avigador filii Salomonis fil. Jehudae, cujus auctoris nulla iterum in Wolfio extant indicia.

Cod. 695

Pentateuchus cum *notis masoreticis*, membr. germ. fol. sec. XIV.

Majoribus luculèntisque litteris exaratus, et tikkùn sopherim, seu typus scribarum. Hinc litterae coronulis ornatae, pe contortum, majusculae initiales nullae, marginalia praecepta de libro legis. In Genesi et Exodo sistuntur ad marg. notae masoreticae ac criticae, quibus identidem variae lectiones aliorum codicum, locorum parallelorum, Sorianorum ac Nehardaeorum, Kimchii etc. suppeditantur. Ex nota, quae sub initium legitur, pertinuit olim codex ad Bonaventuram de Thevenot, et post ejus fata ad canonicos regulares ordinis praemonstratensis Parisiensis in suburbio S. Germani. Ad calcem occurrit ectypon venditionis an. 209, Chr. 1449.

Cod. 696

Psalterium, memb. rabb. in 8.° exeuntis sec. XIII, vel ineuntis XIV.

Habet initialia psalmorum verba, ac marginales eorum numeros rubro charactere expressos, et puncta vocalia usque ad Psal. XXXIX. Singularis est titulus, quo superius indicantur psalmi, תהלות בן ישי *Laudum filii Isai*. Numerantur tum in textu, tum in indice, qui subjicitur, 150, rarioresque exhibet lectiones Psal. XVIII 5, et CVIII 2.

Cod. 697

Siddùr beracòth, *Ordo benedictionum*, memb. germ. in 12. sec. XIII.

Subditur in nonnullis versio germanica charact. rabb., occurruntque etiam aliqui psalmi. Praemittitur index, ad cujus calcem antiqui possessoris nomen subjicitur Josephi fil. Kalonymi.

Cod. 698

Proverbia cum *Commentario* R. Immanuel fil. Salomonis, chart. rabbin. in 4.° sub fin. sec. XIV, vel init. XV.

Deest postremum libri caput, illudque habet singulare, quod in praefationis initio ex vestigiis evanidae scri-

pturae videtur legere בן יעקב *filii Jacobi*, favens mendosae lectioni Neap. editionis, quae nostri auctoris commentar. tribuit Immanueli alteri fil. Jacobi celebri astronomo. Sed inelegans, parum emendatus nulliusque in hoc loco fidei est codex, solus, ut opinor, et a reliquis omnibus desertus. Conferantur quae diximus ad cod. 317.

Cod. 699

Pentateuchus cum *v Meghillòth*, memb. rabb. vel semirabb. 4.° init. sec. xiiI.

Indubiae antiquitatis codex, in quo litterae saepe evanidae, detritae, superscriptae, olim Kenn. 581. Est tikkùn sopherim, seu scribarum exemplar, ut patet ex coronulis litterarum aliisque notis, et ex subscriptione, quae legitur ad calcem Pentateuchi: » Absoluti sunt v libri legis juxta coronas et apices, et defectivas et redundantes, et litteras suspensas, parvas, majusculas, et sectiones apertas et clausas, et divisiones quasque, quas scripsit Esdras scriba ». Prima folia alia manu, antiqua tamen videntur suppleta. Nullae initiales majores, Genesi excepta minus serae, ut diximus, vetustatis, saepe exiguum plane vel nullum ante sectiones spatium, Exodus inscribitur liber secundus, punctis vel circellis implentur spatia, quod nonnisi in vetustissimis fit mss., saepe tamen ad paginarum oram modo parvae, modo magnae masorae conspiciuntur vestigia, sub finem singulorum librorum adest summa versuum, item sof pasuk, piskarum, divisionum, plerumque ingeniose distributa, postremo folio epigraphe ita obsoleta, ut vix legi queant nomina, scriptoris Samuelis fil. Jechiel fil. Jekuthiel, et cujusdam Menachem, in cujus gratiam conscriptus est codex. Praeter loca, in quibus indicavimus in clavi esse unicum, perraram exhibet lectionem Gen. xlix 10 in Appendice *Var. Lectionum*.

Cod. 700

Aphtaròth seu *propheticae Lectiones totius anni*, memb. germ. 4.° sec. xiv.

Adhaerebant superiori codici, sed sunt alterius scribae, characteris, aetatis.

Cod. 701

Prophetae priores, seu *Josue, Judices, Libri Samuelis ac Regum*, memb. hisp. in 4.° sec. xiI.

Olim Kenn. 580, quem Kennicottus scriptum arbitratur sub init. xiI seculi. Incipit Josue iI 5, character hispanicus, post priora I Regum capita minor ac rudior,

sed ejusdem remotae antiquitatis, initiales minores, masora nulla, kerì rarius. Sub fin. Samuelis et initium Regum notae quamplures occurrunt nativ. filiorum sec. xvI. Multis abundat codex variis lectionibus rarioribus, immo singularibus, saepeque optimae frugis. Unicus est Josue vI 26, I Sam. xx 31, iI Reg. ix 2, xI 7, xv 11, xxiiI 16, xxiv 17, fere unicus I Reg. xx 3, iI Reg. xI 15, xiiI 3, rarissimus Jos. xix 2, Jud. vI 15, ix 41, I Sam. xiv 16, iI Sam. viI 23.

COD. 702

ESTHERIS VOLUMEN in corio vel pelle conscriptum et ad formam libri compactum, hisp. in 4.° sec. xv, vel xvI. Quaelibet col. constat lin. 15.

COD. 703

ANONYMI *Commentarius cabbalisticus in Genesim*, chart. rabb. 4.° sec. xv.

Quaedam sectiones cum Zòar adamussim congruunt, aliae toto caelo discrepant, quamquam et in his eadem Zoaris interpretandi ratio, dialectus, stilus adhibeantur, adeo ut idem cum Zòar commentarius videatur, sed ab edito valde diversus. Incipit a sectione לך לך, et a verbis Sidrè torà, quae judaei, qui olim librum possidebant, ejus esse titulum autumarunt.

COD. 704

LIBRI iI REGUM *Fragmentum* cum *Targum alternis versibus* et *Masora*, memb. germ. fol. max. 3 col. sec. xiiI.

A cap. xxiiI 24 ad xxv 13. Unicum iI Reg. xxv 12, ac rarissimum xxv 1 et 8.

COD. 705

LIBER JOSUE cum *Masora*, membr. hisp. fol. 3 col. sec. xiv vel init. xv.

Luculento charactere diligenterque scriptus, sed mutilus, incipiens cap. xviiI 9, et desinens xxiv 4.

COD. 706

PSALTERIUM, memb. germ. fol. exeuntis sec. xiiI.

Valde mutilum, a Ps. xxxI 9 ad lviI 3.

COD. 707

GENESIS *Fragmentum* cum *Targum*, memb. germ. fol. min. sec. xiiI.

Continet sine punctis cap. I ad v. 14. Rarissimam sam. textus veterumque interpretum lect. exhibet Gen. I 11.

COD. 708

DEUTERONOMII *Fragm.*, memb. germ. 4.° init. sec. xiiI.

A cap. xxiI 25 ad xxix 3.

COD. 709

EXODI *Fragm.*, memb. germ. 4.° sec. xiiI vel init. xiv.

A cap. vI 13 ad vII 15, et a xIII 2 ad xIV 8 cum var. lect. ben Ascèr et ben Naphtalì.

COD. 710

BEN ASCER et BEN NAPHTALÌ *Variae Lect.* cum *Fragm. Num.*, memb. 12. sec. xv.

Variae lectiones charactere quadrato hisp., fragmentum rabbinico. Protrahitur hoc a cap. I 17 et IV 10 ad 24.

COD. 711

DANIELIS LIBER, memb. germ. 8.° sub fin. sec. xIV vel initium xv.

Valde mutilus, incipiens cap. vIII 19 et desinens xI 44.

COD. 712

LIBRI II REGUM *Fragmentum*, chart. ital. 8.° sec. xIV vel ineuntis xv.

A vI 1 ad vII 2, et a xIII 24 ad xv 1.

COD. 713

EXODI *Fragment.*, memb. germ. in fol. ineuntis sec. xIII.

A xII 49 ad xv 13 cum utraque masora.

COD. 714

DEUTERONOMII *Fragmentum* cum *Masora*, membr. hisp. 4.° 2 col. sec. xv.

A cap. IX 12 ad xII 30.

COD. 715

PROPHETAE PRIORES ac POSTERIORES, seu *Josue*, *Judices*, *Samuel*, *Reges*, *Isaias*, *Jeremias*, *Ezechiel*, xII *Minores*, v *Meghillòth* ac *Job*, memb. germ. in fol. max. 2 col. seculi xII exeuntis, vel ineuntis xIII.

Est Kenn. 584 optimae frugis meliorisque notae, qui habet Jobum alternis lineis exaratum, et super cujus antiquo integumento scriptum erat nomen Joabi fil. Mosis. Kennicottus ac Brunsius tribuunt sec. xII exeunti, quod de antiquioribus codicis partibus accipiendum est. Nam sub initium, et ab Ezechiele et deinceps manu paullo recentiori ac minori charactere est suppletus. In parte antiquiori nulla masorae extant vestigia, rarissima in recentiori, rarum kerì. Unicus est I Sam. II 32, vI 19, xIII 5, Isai. IX 12, xxII 19, xxxvI 8, Ezech. vII 24, xxIII 44, Joel II 14, IV 9, Mich. IV 14, Agg. I 2, Zach. IX 13, Job xvIII 14, xxxI 4, 7, 31, fere unicus Jos. xIX 8, Isai. xxIV 4, LvI 12, Jerem. II 19, xII 5, xxIII 10, Ezech. xvI 51, xvII 5, xLv 21, Mich. vII 3, Zach. vIII 23, Job I 13, xv 35, xxIx 12, xxxIV 36, rarissimus Jud. v 15, I Sam. xxIV 14, Isai. xxxvII 24, xLI 2, Ezech. xxvII 6, Oseae II 14, vII 5, IX 6, Amos IV 7, Job xI 17. Ac Isaiae quidem xxxvI 8 unicus est, qui servet lectionem

singularem Bibliorum Soncinensium, Brixiensium, ac Prophetarum Soncinensium, nam Kenn. 253 ex editionibus ipsis depromptus est.

COD. 716

PENTATEUCHUS ac PROPHETAE PRIORES, seu *Josue, Judices, Libri Samuelis* ac *Regum* cum *Masora*, membran. germ. in fol. maximo 3 col. sec. XIII.

Olim Kenn. 583 luculentissimus ac correctissimus, qui in prioribus Genesis capitibus exhibet etiam targum et commentarium Jarchì. Habet initiales majores et ornatas, prima targumicorum versuum verba rubro exarata colore, masoram interdum ingeniose conscriptam, desuntque 5 postremi versus lib. II Regum. Primo folio vetusti possessoris nota in medio extat R. Salomonis fil. Chasdai, cujus manu exarata sunt Biblia ms. cum variorum commentariis bibliothecae Mediceae an. 5157, Ch. 1397, ut monet Wolfius T. I p. 1054. Paullo supra ad latus interius nota alia conspicitur venditi codicis eidem Salomoni an. 140, Ch. 1380. Praeter unicam lectionem Exod. VIII 27 rariorem aliam habet Gen. XLIX 10 in appendice Var. Lect. hujus loci, et Jos. XIX 2, Jud. V 15, in *Scholiis criticis*.

COD. 717

GENESIS *Fragmentum* cum *Comm.* memb. rabb. 4.° sec. XIII.

A cap. XIV ad XV 6 et a XXI 34 ad XXIII.

COD. 718

THRENORUM *Fragmentum* membr. germ. fol. sec. XIII.

Duabus col. cum masora parva a cap. III 11 ad V 5.

COD. 719

LIBRI I PARALIP. *Fragm.* membr. ital. in 8.° sec. XIII.

A cap. I 22 ad 44 et a III 9 ad IV 4.

COD. 720

PENTATEUCHUS cum *Aphtaròth*, memb. rabb. in 8.° sec. XIII.

Valde mutilus, seu Genesis a cap. I ad VIII 2, Exod. a XII 10 ad XVII 4, Deut. a XXVI 12 ad XXXI 9. Aphtaròth superiorem et inferiorem occupant marginem minori charactere cum punctis.

COD. 721

PENTATEUCHUS cum *Masora*, *V Meghillòth* et *Aphtaròth*, memb. germ. fol. 2 col. sec. XIV.

Quoad masoram an. 1487. Nam sub finem Numerorum in vase quod gestat infans aquilae conjunctus masorae ductibus expressus, legitur

nomen scribae Salomonis fil. Jechiel Adelkint et an. 247 min. supp. Qui masorethicas notas addidit, Rothenburgensis esse videtur; Rothenburgi enim aliter quoad accentum legi monet ad Num. xxviiI 31. Incipit Gen. iI 18, et desinit sect. sabbathi Moèd Ezech. xxxviiI. Est tikkùn sopherim, seu scribarum typus cum litterarum coronulis ac pe contorto, ad marginem vero perpetuae notae criticae extant, in quibus non modo perscribendorum sacrorum voluminum leges, et plenae, ac defectivae, aliaque masorethica exhibentur, sed et lectiones et testimonia aliorum codicum. Unicus Exod. xix 24, xxiiI 21, Zachariae xiv 20.

Cod. 722

V Meghillòth, Aphtaròth, et Job cum *Commentario* Jarchì et *Masora*, memb. germ. 4.° min. sec. xiiI.

Quoad commentarium qui exterius latus occupat, charactere rabbinico. Canticum Exodi et liber Job alternis lineis distribuuntur, in sectiones consuetas festorum extat etiam chaldaica paraphrasis, in commentarium vero crebrae notae, additiones, mutationes ex aliorum exemplarium collatione. Amanuensis nomen suum Chaiim bis scriptum reliquit, ad calcem Aphtaròth et Jobi. Claudit codicem contractus venditionis anni 229, Ch. 1469. Codex bonae notae, unicus in appendice Variarum Lect. Obadiae 7.

Cod. 723

Agiographa, seu *Psalmi, Job, Proverbia, Daniel, Esdras, Paralip.*, memb. germ. in fol. 2 col. sec. xiiI.

Incipit Psal. xxxiv 13, et desinit iI Paral. iI 10, et hic illic deficit. Alternis lineis divisi sunt Psalmi ac Job, unicus Psal. lxvI 3, fere unicus Dan. x 4, et rarissimus Job xlI 11, Psal. lxix 4.

Cod. 724

Exodi *Fragmentum* cum *Targum* alternis versibus, memb. germ. fol. sec. xiiI.

Continet cap. xxxiv, xxxv.

Cod. 725

Genesis *Fragmentum*, memb. hisp. 4.° min. sec. xiiI.

A cap. xx 6 ad xxI 14. Ex altera parte non legitur. Unicum Gen. xxI 10.

Cod. 726

R. Isaaci Aramae fil. Mosis *Commentarius in Ruth, Threnos* et *Canticum canticorum*, chart. rabb. in 4.° min. init. sec. xvI.

De nostro hoc commentario notanda est atque emendanda insignis Wolfii osci-

tantia, qui postquam monuerat T. I p. 686 Aramae comm. in legem et V libellos sub nomine Akidàd itzchàk seu ligationis Isaaci pluries fuisse editum, sui immemor notat T. III p. 611 ut rem singularem et novam le Longium afferre ejus commentarium in V Meghillòth, sed eum se nusquam commemoratum invenisse ac vereri ne ex uno illo in Esther CPoli excuso sit confictus. Nec minus in hoc negligentem se gessit Rodriguez de Castro qui contendit *Biblioth. rabb. hisp.* p. 360 opus illud non Pentateuchi, sed Miscnae ac Talmudis commentarium complecti, Plantavitium redarguens qui recte aliter senserat.

Cod. 727

R. Meir Arama fil. Isaaci *Commentarius in Esther*, chart. laevig. rabbin. in 4.° min. sec. XVI.

In oriente scriptus a quodam Scem tov in gratiam R. Ghedaliae, ut primo fol. legitur. Scripsit etiam auctor commentarios in Esaiam ac Jeremiam, in Job., in Psal., editos omnes, quos n.° 1386 recenset Wolfius, sed nostri hujus inediti in Esther nulla apud eum vestigia.

Cod. 728

1.° R. Biniamini bar Iehudae *Comm. in Proverbia*.

2.° R. Abr. Aben Ezrae *Commentarius in Job*.

3.° R. Biniamini bar Jehuda *Commentarius in Paralipomena*.

4.° R. Saadiae Gaòn *Commentarius in Danielem*, chart. et memb. rabb. in 4.° an. 1312.

Utrumque R. Biniamini fil. Jehudae Romani commentarium, in Proverbia ac Paralipomena, ineditum esse monuimus ad cod. 308. Litteralis uterque est, quod et in fronte et in praefatione primus indicat, saepeque in iis auctoritas et testimonia Aben Ganach, Aben Ezrae, ac Kimchii producuntur, solers etiam est in secundo auctor ut mox ad cod. 691 animadvertimus, in componendis dissidiis, quae extant quoad propria nomina et alia inter Paralipomena ceterosque sacros libros. Ad calcem comm. in Paralipomena haec leguntur: » Explicit commentarius Paralipomenon ex expositione R. Biniamini perfecti, ope Dei excelsi super omnes excelsos mense nisan an. 72 min. supp. Romae, scriptus dextera minimi Jehudae ». Qui et ad calcem Danielis aliam epigraphem adjecit: » Explicit, Deo dante, Danielis commentarius, simulque cum eo totus codex . . . die XXV mensis adar, vel ijar an. creationis 72 Romae ».

Infra haec vetusti possessoris nomen subjicitur: » Librum hunc emi ego Elia fil. Jechiel fil. R. Sabtai fil. R. Avigador fel. m. mense ellul an. 134 », Ch. 1374.

COD. 729

ECCLESIASTES cum *Commentario* R. Isaaci ben Latef, chart. laevig. rab. 4.° sec. XVI.

Textus charactere et ipse rabbinico exaratus sine punctis. Unicus est Eccle. II 3. Latephii commentarium sine anno et loco editum esse in 8.° notat Wolfius T. III p. 585. Reliqua ejus opera omnia inedita ut monuimus ad cod. 323.

COD. 730

CANTICUM CANTICOR. cum variis *Sectionibus Pent.* ac *Proph.*, memb. germ. fol. maj. sub fin. sec. XIV vel init. XV.

COD. 731

APHTARÒTH seu *propheticarum Sectionum Fragmentum*, memb. germ. fol. min. 2 col. sec. XIII.

Complectitur Ezech. cap. I, XXXVI 33 et XLV.

COD. 732

PSALTERIUM cum *Targum*, *Masora* et *Commentario* Jarchì, membr. germ. in folio min. sec. XIII.

Egregiae notae codex, qui incipit Psal. VI 6, et desinit CXIX 131. Sacer textus, qui mediam occupat columnam, unicam servat lectionem Ps. LXI 8, rarissimam vero Ps. X 5.

COD. 733

PSALMORUM *Fragmentum*, memb. germ. 4.° init. sec. XIV.

Complectitur psalmos XCII, CXXXV, CXXXVI, CXLV, CXLVI, et initium CXLVII.

COD. 734

EXODI *Fragmentum*, membran. rabb. 4.° sec. XIII.

A cap. XXVI 3 ad XXVII 4.

COD. 735

PROVERBIA cum *Commentario* R. Immanuel fil. Salomonis. Adduntur ad calcem variorum auctorum *Scholia in loca difficiliora*, membr. in 4.° sec. XIV.

Character sacri textus est quadratus germanicus cum punctis, commentarii rabbinicus. Rubro et eleganti ornatu, aliquando caeruleo, et viridi distinguuntur capita, ac vario illo colore, sed rubro praesertim, initia versuum. Quae in aliis codic. ad marginem dantur variorum scholia et expositiones difficiliorum locorum, eleganter in hoc librarius ad calcem collegit. Eorum nonnulla designatum habent auctorem R. Jehudam filium Mosis fil. Danielis, reliqua anonyma. In clavi codicum Variis Lectionibus praefixa mo-

nuimus esse Kennicottianum 556 post Saravalli, docti Mantuanae synagogae praefecti, fata a me comparatum. Patet ex nota primae paginae praefixa eum olim pertinuisse ad R. Samuelem fil. Biniamini fil. Sabtaei de Norza. Perraram in *Scholiis criticis* exhibet lectionem c. xxvI 12.

Cod. 736

Machazòr seu *precum Breviarium* cum *Targum in Exod. cap. xIII*, memb. germ. 4.° maj. sec. xIII.

Sub fin. manu recentiori plura folia charta suppleta.

Cod. 737

Biblia seu *Prophetae priores, posteriores* et *Agiographa* cum *Targum* et *Masora*, membr. germ. fol. 3 voll. seculi xIII.

Incipit Josue xI 23, et desunt Prophetae minores et Psalmi. Jeremias primus est posteriorum Prophetarum, Isaias tertius. Post Esther occurrunt Additamenta, quae congruunt cum lectione cod. Vatic., Ambrosiani, mei 42, et a Pontificio recedunt. Habetur Targum in omnes libros, praeterquam in Dan. Esd. Chron., et ad calcem codicis extat nomen ejus qui puncta adjecit, Josephi fil. R. Isaaci de Arkiach. Sacer textus copiosam suppeditat messem variarum lectionum rarioris commatis. Unicus est Isai. xxIv 5, Jerem. II 31, xxx 18, Ezech. xxxvIII 17, Ruth II 20, Prov. xIII 14, Job xLI 26, Esd. II 53, II Paral. xvI 6, xxvIII 3 et 23, fere unicus Isai. xIII 22, xvI 11, xxx 8, Jerem. xxxI 33, Job xxx 17, xxxII 24, xLI 2, II Paral. xII 14, rarissimus Isai. xxxvIII 14, Ezech. xvI 4, 21, 27, Prov. vI 5, xv 14, Job xv 24, xxvIII 27, Esd. II 70, x 16, Neh. Ix 17, I Paral. xIx 1, II Par. II 6, xIx 11, xxII 10, xxv 23, xxvI 11. Notat Simonius *Epist. sel.* T. I p. 26 judaicam superstitionem cultro librum transfodiendi, ne integer in christiani manus deveniat. Iniquissimam hanc sortem et indignitatem expertus videtur codex hic splendidus, qui quamplurimis recentissimis cultri ictibus quaque versum ductis misere transfossus ac dilaniatus conspicitur.

Cod. 738

R. David Kimchì *Liber Scarascìm* vel *radicum*, seu absolutissimum *Lexicon hebraeo-biblicum*, membr. rabbin. in fol. an. 1316.

Tanta est Kimchiani Lexici praestantia et utilitas, ut non modo hebraei, sed et christiani lexicographi fere omnes illud secuti sint in explanandis hebraicarum vocum significationibus. At

vero mss. ejus codicum majus adhuc est pretium ob insignes quas suppeditant, ab editis discrepantias, correctiones, supplementa. Plures etiam servant varias lectiones sacri textus, inter quas graviores quaedam occurrunt, et integri versus a Kimchio citati, qui in hodiernis Bibliis non reperiuntur, multisque criticorum disputationibus ansam dederunt. Conf. Marcus Marinus in praef. ad *Arcam Noe*, Capellanus in *Mari rabb. infido* P. I cap. VI, Wolfius *Biblioth. hebr.* T. I pag. 307, et quae de iis nos supra observavimus ad cod. 511 et fusius in *Annalibus heb.-typ. sec. XV* p. 76. Extant illi in omnibus codicibus et antiquis editionibus, sed codices nonnulli inter quos meus 791, et Thessal. editio adnotant ad marg. eos non reperiri, ac recentiores editiones omittunt. In nostro hoc codice Kimchii praefationi 14 versus praemittuntur, in quibus quum nominetur interpres Judas filius Saul, non dubito quin petiti sint hucque translati ex altero Radicum libro R. Jonae ben Ganach, quem R. Jehudas Tibbonides ex arabico hebraice vertit, servatque ms. bibliotheca Vaticana. Ad marginem notantur sacri libri, unde exempla petuntur in textu in priorum litterarum radicibus, hacque explicit descriptoris nota: » Finitus est feria V die III mensis tamuz an. 76 sexti millenarii opera Sabtaei fil. R. Mescullam, cujus requies sit in paradiso. Scripsi vero illum pro R. Mose fil. Abrahami ».

COD. 739

R. SALOM. JARCHÌ *Commentarius in Pentateuchum*. Accedit anonymi *Expositio vocum peregrinarum, quae in Jarchii Commentario occurrunt*, membr. rabbin. fol. 2 col. an. 1432.

Sacra verba, quod in mss. rarissimum ac singulare, rubro charact. distincta sunt, hancque servat ad calcem amanuensis notam: » Finita porro est structura operis hujus libri Commentarii in Pentat. R. Salomonis feria VI hebd. die XXV mensis nissan an. 192 VI millenarii per manum Mosis scribae fil. R. Abrah. scribae, quem Deus tueatur de Tarvisio, scripsique illum ad nutum domini Menachem fil. Jechielis medici Firmiensis ex familia Galiko ».

COD. 740

MACHAZÒR ital. cum *Sectionibus Pent.* ac *Proph.* et *Psalmis* occurr., *Pirkè avòth* cum *Comment.* Maimonidis, *Pèrek* R. Meir cum *Comm.*

Jarchì, ac multis variorum auctorum *hymnis* ac *precibus*, membr. rabb. fol. min. vel 4.° maj. sec. xv.

Videlicet praeter anonyma plura auctorum nomina sistunt Jeh. Levitae hymnus Adòn chasdechà, Rescud paschatis R. Biniamini, Jotzèr paschatis Joab de Bethel, Azaròth Sal. Gaviròl et Eliae, Rescud Joab de Bethel in die pentecostis, Gheulà Aben Ezrae, alia R. Maimon, Selichà David fil. Mescullàm, Techinà Daniel fil. Jechiel, Selichà Eliae fil. Kadosc seu sancti, alia Jeh. Levitae, Tefilà jejunii Romae instituti an. 81, Seder tamìd Nathanael de Kenòn, alius R. Meir, Rescud Joabi de synagoga, Vidui Saadiae, Selichà R. Josephi, alia R. David, alia R. Isaaci, Selicòth variae Sal. Katòn seu Gaviròl, aliae Aben Ezrae, aliae R. Biniamini, una R. Mosis, Tochechà Sal. Gaviròl, Rescud Seder avodà Aben Ezrae, et Seder ipse avodà. Desinit ad Osahòth. Inter sectiones quaedam occurrunt chaldaicae Prophetarum, et inter preces oratio de Edom diei IX av.

COD. 741

R. AARON LEVITAE Barcinonensis *Liber chinùch* seu *Commentarius in praecepta legis*, memb. rabb. fol. 1350.

Ad calcem: » Positus autem est finis opificio operis sancti, quod ego feci in isto libro, ego Josue fil. Salomonis Rosc, vel Rasc die VII mensis tebeth an. III min. supp., scripsique illum hic in urbe Fani ».

COD. 742

PROVERBIA, JOB, DANIEL, membr. rabb. 16. an. 1347.

Incipit Prov. xI 4, hocque exhibet ad calcem scribae testimonium: » Absolutum est autem opus sanctum per manum Mosis fil. R. Eliae feria v die xxIII mensis tamuz an. 5107 a creatione mundi ». Unicus Dan. IX 26.

COD. 743

MEGHILLAD ESTHER, seu *Volumen Estheris*, membr. char. hisp., lin. 12 sec. xvI.

COD. 744

JOSUE ac JUDICES, memb. hisp. in 4.° 2 col. sec. xIII.

Eodem charactere cum 679, et ejus pars sero reperta. Nullam habet masoram, nullum kerì, unicus est Jud. xvIII 30 in servanda celebri Mosis lectione ac perrarus in *Scholiis criticis* v. 21 ej. capitis, explicitque Jud. xx 2.

COD. 745

PENTATEUCHUS cum *Masora*, memb. hisp. in 8.° exeuntis sec. xIII.

Pagina quae praecedit Genesim, extat nota Biniamini cujusdam fil. Mosis, qua testatur se codicem emisse a R. Mose fil. Mescullam de Pisis an. 142, Ch. 1382. Paullo infra nota alia conspicitur an. 5201, Ch. 1441. Initiales minores, adest masora utraque, ad calcem librorum summa versuum et annorum, quorum ambitum illi comprehendunt, subque codicis finem notae aliae reperiuntur annorum 209, 213, 217 ec., Ch. 1449, 1453, 1457.

COD. 746

SIDDUR seu *Ordo precum* cum *Pirkè avoth* ac *Psalmis* occ., memb. germ. 12. sec. XIV.

Precum exordia sub codicis initium aureo ornatu, sed evanido, litterisque alternatim rubris et caeruleis condecorata.

COD. 747

PROVERBIA cum *Commentario* R. Immanuelis fil. Sal., chart. rabb. 4.° an. 1440.

Sed textus cum punctis laterali columna. Incipit cap. III 24, desinitque sequenti nota. » Perfectus est et absolutus opera Mardochaei Elchanan hic Arimini anno ר״ץ seu 200 ».

COD. 748

SIDDUR seu *Ordo precum totius anni* cum *Pirkè avoth*, *Azaroth* R. Eliae, *Cantico Exodi* ac *Psalmis* occurrentibus, memb. rabb. 12. sec. XIV.

Sub initium plures ordine occurrunt Psalmi, quos per singulos hebdomadae vel festorum dies levitae in templo recitabant. Rubris lineolis vel signis saepe precum exordia notata.

COD. 749

1.° R. JACOB BEN MACHIR *Tabulae astronomicae*.

2.° R. IMMANUEL FIL. JACOB *Tabulae astronomicae*, memb. rabbin. 4.° sec. XIV.

Absolutissimae eae quidem, diserteque annorum, et mensium revolutiones, solisque, lunae, planetarum motus ac progressus indicantes, eleganter etiam minio descriptae, sed charactere rabbinico orientali implexo lectuque difficili. Nescio, an Machiri Tabulae eaedem sint cum kalendario codicis Bodlejani, quod memorat Wolfius T. III p. 514, et continet tabulas motus planetarum. Initium in utrisque fit a saturno, sed quae praemittitur in meo codice auctoris praefatio, non incipit ut Bodlejanus, ab iis verbis » Quia videbo caelos tuos, opus digitorum tuorum, lunam et stella quae tu fundasti ». Indicatur sub init. primae columnae an 1300, ejusque aetatis est codex, sed serior

manus tum sub fin. praefationis, tum in nonnullis aliis locis annum notavit judaicum 168 ac christianum ei respondentem 1408.

COD. 750

1.° R. MOSIS MAIMONIDIS *Logicae Compendium*, a Mose aben Tibbòn heb. translatum.

2.° ANON. *Tract. logicae*

3.° R. SAMUELIS TIBBONIDIS *Liber Rùach chen.*

4.° HIPPOCRATIS *Prognostica* a R. Tanchum filio Mosis hebr. versa sub titulo *Panìm lefanìm*, membr. rabb. 4.° min. an. 1412.

De primo illo Maimonidis libro conferantur annotata ad cod. 177 et 458. Dicitur ad calcem finitus in urbe Firmii Anconitanae provinciae per Mardochaeum Biniaminum fil. R. Menachem Rophè. Quis fusiorem qui sequitur, logicae tractatum concinnaverit, non apparet. Hippocratis Prognostica hebraice ex versione Honain fil. Isaaci ms. extare in bibliotheca Colbertina notat Wolfius T. III p. 87, sed de nostra hac, ejusque auctore R. Tanchum fil. Mosis silet profunde. Praemittit is praefationem, in qua ait se excitatum fuisse a R. Salomone fil. Abraham Avigador praeceptore suo, cujus librum Panim bamispàt cum laude memorat, nomenque suum sub finem exprimens, addit cognomen de Blakairi, vel Balkairi. Hac duplici subscriptione explicit, interpretis et amanuensis: » Hicque absolvitur quod de hoc argumento exponere intendimus. Finita est autem versio mea anno opus manuum nostrarum dirige עלינו super nos, idest 166 (Ch. 1406), hic in castro Duran. Benedictus qui dedit robur suum servo suo filio ancillae suae. Finitus est et absolutus, laus creatori mundi, per manum Mardochaei Biniamini fil. R. Menachem Rophè vel medici, quem Deus tueatur, feria III die VIII mensis tebeth an. 173 hic Caprae Montanae (Ripa Transone) ex provincia Marcae ».

COD. 751

MACHAZÒR ital. pars cum *Pirkè avoth* et *Psalmis* occurr., membr. rabbin. in 8.° anni 1502.

Ad calcem ante Selichà R. Biniamin: » Per manum Nathan fil. Matathiae f. m. Mutinensis, finitum et absolutum est, opitulante Deo seculi, feria V die XX mensis ijar an. 262 ». Praeter anonymas preces praeseferunt auctoris nomen Azaròth Eliae et Salom. Gaviròl, Hymnus Jeh. Levitae ante festum purìm, Selichà expiationis R. David, Confessio Saadiae,

Selichà Sal. Katòn, alia Aben Ezrae pro die expiationis, variae Biniamini, tandem Musàph Jochanàn Zakèn.

COD. 752

SIDDUR seu *Ordo precum totius anni* cum *Psalmis* occurr., memb. rabb. mutilus in 12. sec. XV.

COD. 753

SIDDUR seu *Ordo precum* cum *Psalmis* occurr., memb. ital. 32. sec. XIV.

COD. 754

PENTATEUCHUS cum *v Meghilloth*, membr. germ. in 4.° sec. XIII.

Et quidem, ut videtur, ineuntis. Est tikkùn sopherìm, unde in Pentateucho desunt puncta, exceptis paucis paginis Numerorum, initiales sunt ceteris aequales, litterae coronulis ornatae, pe contortum, sectiones apertae ac clausae diligenter notatae, masoretica praécepta saepeque aliorum codicum lectiones ad marg. expressae. Unicus est cum Sam. T. Deut. I 43, rarissimus Thr. II 16, 17.

COD. 755

1.° R. PERIPOTH DURAN Liber *Mahassè ephod*, *Opus ephod*.

2.° Ejusdem *Epistola* ad Bonetum *Al theì caavodechà*, *Ne sis sicut patres tui*.

3.° MAIMONIDIS *Epistola meridionalis* ad R. Jacob ben Nathanael ben Pigai.

4.° R. ABRAHAM KLOSNIR *Epistola de unitate* ad R. Menachem Aglar.

5.° R. MENACHEM AGLAR *Epistola* responsoria, inscripta *Via vitae* ad R. ABR. KLOSNIR.

6.° R. JOSEPH ABEN CASPÌ *Kevutzàd chèseph, collectio argentea*.

7.° Ejusd. *Ghelìlè chèseph*, *Termini argentei*.

8.° Ejusd. *Tzoàd achaspì*, *Eductio caspiana* vel *argentea*, dictus etiam *Liber musàr*, seu *Institutionis*

9.° R. JEDAJAE BADRESCÌ, vel APENNINÌ *Epistola apologetica*, chart. rabb. in 4.° minori an. 1474.

Pretiosus codex ob inedita ignotaque opera, quae continet, et reconditas quas suppeditat, notiones bibliographicas. Peripothi Mahassè ephod, eximium opus grammaticum hucusque ineditum, de quo infra ad cod. 800 plura disserimus, ad calcem dicitur » descriptum a filio Tzionis fil. pii R. Raphaelis die XXIII mensis scebàt anni 234, Chr. 1474 ». De ejusdem epistola antichristiana אל תהי כאבותיך plura Wolfius T. I et III, nosque ipsi supra ad cod. 84, tum in *Annalib. hebraeo-typ. Sabionetae*, et in *Bibliotheca jud. antichristiana*.

Quae sequitur fusa Maimonidis epistola, hic inscribitur פתח תקוה *Janua spei*, sed in aliis plerisque codicibus אגרת תימן *Epistola meridionalis*, deque ea Wolfius T. I p. 861. Prodiit in volumine epistolarum Maimonidis, sed nonnullis mutatis. Sub finem: » Finita est epistola meridionalis dicta janua spei ». Subduntur carmina quaedam, et nomen scribae Obadiae filii Amathiae. De utroque auctore, Abrahamo Klosnir et Menachem Aglar, eorumque epistolis nihil Wolfius.

Nihil etiam de singulari ac perraro libro R. Josephi Caspì קבוצת הכסף, seu *Collectione argentea*, vel caspiana, sic procul dubio inscripta, quia in ea colligit recensetque auctor titulos et argumenta viginti breviorum librorum, quos in explanationem sacrae Scripturae ipse composuerat vel inceperat. Quum eorum plerique sint ignotissimi, insigniaque hinc peti queant ad Wolfianam Bibliothecam supplementa, operae pretium ducimus singulos ordine exponere. Primus est טירת כסף *Palatium argenteum*, quo exponuntur varia genera arcanorum legis. De eo silet Wolfius. Secundus אדני כסף *Bases argenteae*, isque illustrat varias figuras biblicas. Silet Wolfius. Tertius עמודי כסף *Columnae argenteae*. Est commentarius in Morè nevochìm, de quo Wolfius T. III p. 407, ubi accuratius libri titulum et argumentum refert, quam fecerat T. I p. 541. Ms. extat in Vaticana, teste Bartoloccio, qui recte argumentum prodidit. Male Sabtaeus notat continere conciones in Pentateuchum. Quartus משכיות כסף seu *Figurae argenteae*. Pertinet et ipse ad illustrationem quorumdam locorum Morè, deque eo silet Wolfius. Sed extat in Taurinensi bibliotheca, eumque memorat *Catalogus* sub cod. 97. Quintus מטות כסף *Baculi argentei*, quo exponitur argumentum cujuslibet libri sacri. Silet Wolfius. Sextus שלחן הכסף *Mensa argentea*. Silet Wolfius, sed eum fuse olim descripsimus, et argumentum et excerpta ex ms. Taurinensi suppeditavimus in libro *De praecipuis caussis neglectae hebraicarum litterarum disciplinae* p. 61 et seq.. Septimus מזרקי כסף *Crateres argentei*, cabbalisticus de opere berescìth, seu creationis. Silet Wolf.. Octavus מנורת כסף *Candelabrum argenteum*, cabbalisticus et ipse agens de opere mercavà, seu currus Ezechielis. Extat ms. in bibliotheca Sorbonica, et de eo Wolfius T. III p. 406. Nonus קערת כסף *Scutellae argenteae* de sanctitate legis, et foelicitate spiritua-

li et aeterna in ea danda intellecta. Silet Wolfius. Decimus כפות כסף *Cochlearia argentea*. Exponuntur varia capita et argumenta Scripturarum difficiliora, de poenitentia Dei, de ejus induratione cordis, de facto Nabucodonosoris, de tentatione etc.. Male ergo Wolfius T. I p 542, recensque auctor *Seder adoroth* fol. 58 b, ubi vix hunc librum memorant, notant esse commentarium in Threnos.

Undecimus est גביע כסף *Scyphus argenteus*, agitque de arcanis legis ac Scripturae. Wolfius qui memorat, iterum commentarium Morè esse asserit. Quod quamquam generatim dici queat, quia in plerisque illustrat auctor Morè, suaque ad eum refert, speciali tamen titulo singuli libri distinguuntur a singularibus argumentis in eo pertractatis. Duodecimus est חצצרות כסף *Tubae argenteae*, illustratque librum Ecclesiastis. De eo Wolfius T. IV p. 855, qui illum se vidisse asserit in Oppenheimeri bibliotheca, sed parum accurate subdit illustrari etiam Threnos, Esther, Esdram ac Chronica. Auctor ejus argumentum exponens memorat solum Ecclesiastem. Is extat etiam, ut vidimus, in cod. nostro 461. Decimus tertius מזמרות כסף *Psalteria* vel *Instrumenta argentea*. Illustrat librum Job, deque eo silet Wolfius. Decimus quartus כפורי כסף *Pelves* vel *Crateres argentei*. Agit de erroribus in explicatione variorum articulorum a praecedentibus interpretibus commissis. Silet Wolfius. Decimus quintus מצרף לכסף *Conflator argenti*. Est explanatio legis juxta ordinem locorum, in quibus ab interpretibus erratum est, vel nova producuntur. Silet Wolfius. Decimus sextus חגורת כסף *Cingulum argenteum*. Explanat librum Proverbior. juxta sensum litteralem. Wolf. silet. Decimus septimus רתוקות כסף *Catenae argenteae*. Agit de perfectione linguae hebraicae, deque eo silet Wolfius. Sed Caspius ipse eum memorat in praef. ad Tzeròr acheseſ, seu ineditum logicae compendium, quod continet cod. noster 402. Decimus octavus נקודות כסף *Puncta argentea*, de benedictione et maledictione in Scriptura memorata, et de numeratione, vel recensione. Silet Wolfius. Decimus nonus גלילי כסף *Termini argentei*. Exponitur Esther, seu ejus nonnulla capita. Omittit Wolfius, sed T. IV memorat sub alio titulo commentarium in Esther. Vigesimus תם הכסף *Perfectio argenti*, ubi de destructione templi I et II, et de adventu Messiae III templum aedificaturi. Nihil et de hoc Wol-

fius. Nota ad calcem libri hos xx libellos dici jam coeptos, Deoque auxiliante absolvendos. Fieri ergo potest, ut eorum nonnulli non fuerint absoluti et editi.

Praeter hos libros in praef. hujus opusculi innuit Caspì alios quosdam, quos ipse de aliis argumentis concinnaverit. Sunt autem 1.° compendium logicae, dictum צרור הכסף *Fasciculus argenti*. De eo Wolf. T. I p. 542 et III p. 407, et nos ad cod. 402, qui illud continet. Extat quoque in Bodlejana in cod. 406 novi Uri *Catalogi*. 2.° Expositio libri Aristotelis de virtutibus vel ethicorum quae iterum extat in Bodlej. in cod. 397. 3.° Expositio libri Platonis de republica, vel regimine sub titulo תרומת הכסף *Oblationes argenti*. Habet et Bodlejana in eod. codice. 4.° Comm. libri הרקמה Rikmà seu Grammaticae R. Jonae ben Ganàch. 5.° Commentarius in Aben Ezram in Pentateuchum inscriptus פרשת הכסף *Exposit. argentea* quem complectitur cod. meus 205. Tertium et quintum profert Wolfius ex Bartoloccio, ut existentes in Vaticana, sed de secundo ac quarto iterum silet profundissime. Praeterea in praef. ad Tzeror achesef alterum auctoris nostri opus innuitur שרשרות כסף sive שרשות כסף *Catenae argenteae*, quod Romae in Angelica, in Parisiensi Oratorii et in bibl. Edzardi et Oppenheimeri ms. servari testatur Wolfius, extatque etiam in Escurialensi, teste Rodriguez de Castro *Bibl. hisp.* T. I p. 102. Atque hi omnes Caspii libri, quos ignorari et omitti a Wolfio diximus, ignorantur quoque et omittuntur a nupero et pleniore auctore R. Jechiele fil. Salomonis in *Seder adoròth*, contra afferuntur ab utroque nonnulli qui hic desiderantur, nisi duplici titulo ii fuerint insigniti. Nonnullae etiam vitae auctoris circumstantiae in hac praefatione tanguntur hucusque ignotissimae, quibus nuper usi sumus in *Dictionar. hist. jud. auctorum*, de Caspì nostro agentes. Videlicet quod trigesimo suae vitae anno logicae scientiisque speculativis applicuerit, quod binos habuerit filios, quod Aegyptum, Perpinianum, Majoricam, Aragoniam peragrarit, quod post suscepta itinera de perficiendis his libris anno 91 sexti millenarii, Chr. 1331, serio cogitaverit ac voverit, antequam in Provinciam et domum suam se reciperet.

Haec de hoc Caspii opusculo. Alterum quod sequitur גלילי כסף, testatur sub initium auctor se illud composuisse in Majorica anno 91, ubi sex menses transegerat.

dein vero Barcinonem rediisse, ubi erat domus ejus natusque aetate major. Est in eorum ordine quae supra recensuimus, decimum nonum, et Estheris librum illustrat. Postremum opusculum Caspii nostri יציאת הכספי *Eductio, Productio caspiana,* constans capitibus brevioribus xxI, est liber moralis institutionis in gratiam filii sui susceptus, quem alloquitur, et ad quem se eum misisse monet in praefatiuncula, ubi iterum varia sua itinera recenset. Scripsit hunc librum quum Valentiae esset in Hispania, ut animadvertimus ad cod. 102, seu ad antiquius alterum ac memb. exemplar. De Appeniniana epistola apologetica alibi diximus.

Cod. 756

R. Isaac de Korbeil *Amudè golà,* seu *Liber parvus praeceptorum,* membr. rabb. in 8.° an. 1406.

Incipit a praecepto negativo 126, et explicit hac epigraphe: » Completus absolutusque est liber parvus praeceptorum, dictus Amudè golà. Laus Deo, qui excelsa inhabitat ». Fol. vero seq. » Feria I hebd. die I mensis tebeth an. 5167 a creatione mundi juxta supput. qua nos utimur hic Comi ». Sequitur divisio quaedam praeceptorum per dies hebdomadae.

Cod. 757

Siddur, seu *Ordo precum* cum *Psal.* occ., memb. germ. 12. sec. xv.

Nitidus et cum initialibus litteris aureis.

Cod. 758

Psalterium, Job, Proverbia, membr. rabbin. 12. anni 1397.

Partim cum punctis, partim sine iis. In v libros dividuntur psalmi, quorum tituli, ut et Jobi ac Proverbiorum, minio auroque depicti sunt, sub initium vero contra reliquorum morem hanc amanuensis epigraphem reliquit: » Psalmos hos, Jobum, Proverbia scripsi ... absolvique die vI adar secundi an. 157 ». Sequitur index psalmorum, primique tres psalmi desunt. Fere unicus Psal. lxxxiv 11, unicus Prov. xxvII 22, Job xxxII 19, ac xxxvII 24, unusque e paucissimis Prov. xxvIII 1, Job xxI 22. Scriba sui nominis memoriam nobis reliquit Jobi vII, punctis notans initiales linearum, quae Menachemi nomen produnt. Quod et in Proverbiis factum est.

Cod. 759

Psalterium, memb. rabb. 16. sec. xiv.

Incipit Psal. lxix 17, et desinit cxix 146.

Cod. 760

R. Scem tov Sprot fil. Isaaci *Evèn bòchen, Lapis lydius*, chart. rabb. in 4.° recentis aetatis.

Polemicum et ineditum opus adversus christianos, quod describit Wolfius T. I p. 1127 et III p. 1135, et in variis aliis extat bibliothecis. De eo egimus jam et nos ipsi in *Biblioteca jud. antichr.* p. 103. In praefatione tradit auctor appellare se librum Even bòchen, quia in eo probat et examinat veritatem et mendacium, ex duobus vero, quos loquentes introducit, judaeum unitarium vocare, christianum trinitarium. Sub initium dicitur is de Todela, ut rectius in codice Leidensi legendum Wolfius conjecerat. Constat XVI sectionibus, quaelibet autem sectio variis capitibus. Prima sectio agit in genere de fidei articulis, judaicae potissimum, non christianae, ut ait Bartoloccius, II de lege Mosis, III de Isaia, seu ejus textibus ac prophetiis, IV de Jeremìa, V de Ezechiele, VIII de Proverbiis, IX de Daniele, X de Jobo, XI de Agadòth, seu talmudicis historiis, XII de articulis fidei christianae, XIII de Evangelio, XIV confutatio magistri Alphonsi, XV de resurrectione mortuorum, XVI de Messiae gestis ac signis. Quibus sectionibus quaestio subjicitur, alterius, ut videtur, auctoris, quidnam boni mundo Jesus adventus attulerit, deinde scribae carmen in laudem operis. Alphonsi objecta contra R. Josephi Kimchì *Milchamòth adonai*, seu *Bella Domini*, librum antichristianum diu notissimum, non modo in illa sect. XIV examinat, sed et saepe ad calcem praecedentium, ubi a recentiori aliquo judaeo, forte scriba ipso, saepe etiam ad Kimchii et Abrabanelis scripta lector amandatur. Alphonsus ille quis sit, non video cur in notis ad I vol. dubitet Wolfius, ac Petrum Alphonsum esse conjiciat, in judaismo Mosem dictum, qui an. 1106 christianam fidem suscepit, et Dialogum edidit adversus judaeos Coloniae excusum, oblitus penitus eorum quae antea scripserat p. 192 sub n.° 322, extare videlicet Alphonsum ex judaeo christianum, qui scripto singulari respondit ad Josephi Kimchii argumenta in Milchamòth ascem contra christianam religionem prolata, memorare hanc Apologiam R. Scem Tov Sciphrut in suo Even bòchen, eamque ms. servari in Vaticana et in Collegio neophytorum romano, Alphonsum hunc vocari Burgensem vel de Valladolid, Vallisoletanum, vixisse sec.

XIV, ejus Bella Domini hebraice primum scripta fuisse, deinde hispanice translata, in cujus versionis titulo dicitur in judaismo vocatus Abner. Quod praeter Alphonsum de Spina, Nicolaum Antonium, Rodriguez de Castro, aliosque scriptores, et codex noster 533, qui varia ejus scripta antichristiana continet, confirmat amplissime. Hic idem Alphonsus est, qui in Even bochen impugnatur, non prior ille multo antiquior. Ordo sectionum in nostro codice ab eo discrepat, quem Romanus Collegii neophitorum ac Mediceus praeseferunt, nec ex sui defectu a sect. V ad VIII transilit, sed ex scribae oscitantia vel instituto. De Mediceo tria Wolfii errata ex epigraphe ipsa, quam integram dat Biscionius *Biblioth. heb. Flor.* p. 226, emendanda. Nec enim codex, sed opus ipsum absolutum est an. 5145, Ch. 1385, nec in urbe Dertona (Tortona) sed Tarasona, nec tandem ab Obadìa Amathia, sed ab auctore ipso Scem tov, fictitio eo nomine perperam deducto ex praemissis verbis לעבדיה׃ בר אמתיה׃ *servo suo filio ancillae suae* male interpretatis, ut Biscionius adnotat, qui tamen male contra Wolfium putat auctoris patriam non Todelam, sed Tarasonam in ea subscriptione vocari. In ea enim Tarasonae absolutum dicitur opus, non natus auctor. In eo etiam gravius peccat Wolfius, quod nostrum hunc auctorem cum antiquiore alio Scem Tov filio Isaaci Dertosano confundat, ex binis diversissimis ac patria et aetate dissitis unum faciat, cunctaque Dertosani opera, XIII seculo manifeste composita, filio nostro Sciphruti oscitanter assignet, qui eo consentiente florebat sub fin. sec. XIV, quod tandem detecta ex Vaticani codicis epigraphe aetatis et rei incongruentia, in errore constans, malit ad ejus epigraphis annum 1264 nostri auctoris aetatem contra scriptorum consensum amandare, quam alium auctorem statuere. Conferantur quae fuse annotavimus ad cod. 347. Judaeis qui de hoc libro egerunt, addendus R. Jechiel in *Seder adoròth* fol. 63.

Cod. 761

Machazòr *Comp.* seu *Ordo precum* major ital. cum *Cantico Exodi* et *Psalmis* occurr. ac *Pirkè avòth*, memb. rabb. mutil. in 4.° min. sec. XIV.

Habet quoque fusum Jeh. Levitae Carmen ante Estheris festum canendum, Paraeneses Gaviròlii et Eliae, R. Biniamini Carmen, Zacòr, Rescud Joabi, et integras preces contra Edom.

Cod. 762

Siddur tefilòth, seu *Ordo precum* cum *Cantico Exodi* ac *Psalmis* occurr. memb. ital. 12. sec. xv.

Minio fucatus titulus, aureae saepe initiales, immo ante agadà binae paginae aureis verbis conscriptae, aderant passim et argenteae litterae quae nigrae evaserunt.

Cod. 763

Proverbiorum *Fragment.* cum *Comm.* r. Immanuel, memb. ital. in 4.° sec. xv.

Quoad comm., charactere rabb. A cap. xxx 32 ad finem libri.

Cod. 764

1.° R. Salomonis Parchòn filii Abraham *Mechabberòth, Compositiones,* vel *Lexicon hebraeo-biblicum.*

2.° Ejusdem *Saharim,* seu *Sectiones de syntaxi sacri textus et linguae sanctae.*

3.° Anonymi Libellus grammaticus *Tzach scephadaim, Puritas labiorum,* vel *Purus labiis.*

4.° Mosis cujusdam grammatici liber *Orajàd akkorè,* seu *Demonstratio lectoris,* a r. Menachem ben Nathanaèl hebr. versus, membr. rabb. fol. an. 1372.

Omnia inedita. Parchonis Lexicon Kimchianum antiquitate antecellere recte statuunt Lambecius ac Spizelius; conscriptum est enim anno M. 4921, Ch. 1161, annis saltem triginta, antequam Kimchius floreret. Perperam ergo id inficiabatur Bartoloccius, ut perperam auctor *Seder adoroth* notat fol. 171 lexicon hoc ex Radàk esse collectum eo recentiore, sibi ipsi statim in eo quod subdit an. 4921 elucubratum, aperte contradicens. Nec antiquitate tantum, sed et praestantia Kimchianum superare, quod alterum Bartoloccius negabat, multasque in eo servari vocum significationes optimae vel melioris notae Kimchio ignotas, et ex antiquioribus arabicis glossariis, vel arabica lingua derivatas, plura ostendunt hujus lexici specimina, quae olim in *Variis* nostris *Lectionibus sacri textus,* in iv praesertim volumine, produximus, doctis gratissima. Hancque ipsam praestantiam procul dubio multo antea cognoverat doctissimus Hyde, qui novum lexicon heb. edere sibi proposuerat ex mss. lexicis auctoris nostri, r. Jonae et r. Isaiae emendatum et auctum, ut notat Chauffepiè in suo *Diction.* ad illius artic., ubi tamen pro corrupto nomine *Pinchon* legendum *Parchòn.* Pretiosi hujus et utilissimi operis exemplar in Vindobonensi extare in ejus

bibl. *Commentariis* T. I p. 177, novae editionis p. 281, monet Lambecius, sed unicum in toto orbe illud esse exemplar minus feliciter conjicit. Bina apud nos extant, triaque alia in selectissima, olim Oppenheimeri, nunc Seligmanni bibliotheca, quae describit Wolfius T. III p. 1024, notatque illius bibl. *Catalogus* in mss. classe fol. 12. Mirum ergo Meninskium ac Kollarium, viros clarissimos, eam Lambecii conjecturam inemendatam ad nos in nupera editione illorum *Commentariorum* demandasse. Ad calcem lexici legitur נשלמה המחברת ערוך מלא *Finita est Mechabbèred*, seu *Compositio*, *Arùch completum*. Ex hac epigraphe primum edocemur operis titulum non esse in plurali Mechabberòth, ut omnes hucusque bibliographi illud inscribunt, sed in singulari Mechabbèred, ut non modo in nostro hoc codice, sed et in tribus Oppenheimerianis appellatur, *Catalogo* teste. Deinde vero vocari etiam Aruch, nomine ea aetate lexicis communi, quo non semel ab auctore ipso inscribitur in seq. opusculo, praesertim vero in epigraphe, qua illud claudit, ad lexicon nostrum referenda, dignissimaque, quae integra exscribatur. » Complevi ego Salomon filius R. Abrahami, cognominati ben Parchon, fel. mem., ex urbe קלעה Kalhà hoc Arùch, quod in linguam sanctam converti ex libris anterioribus R. Jehudae Chiug et R. Jonae ben Ganàh, ex libro מסתלחק, libro לומע, ex libro Jesòd milòt, seu fundamenti dictionum, et ex alio תשויר Tasvìr. Composui autem, vel simul collegi omnia verba eorum in hoc Aruch, singula ex singulis libris, iisque, ubi opus erat, alia addidi, novas etiam observationes ac proverbia ex litteratura graeca, prout potui, finemque ei imposui initio mensis chislev an. 4921 ab orbe condito in civitate Salerni posita ad litus maris ». Patet hinc, quare opus appellatum sit Mechabbèred, videlicet compositio, unio, collectio. Patent et collecti praecipui fontes, inter quos eminent libri ben Ganàh. Ejus enim sunt quatuor qui subduntur, ut constat ex cod. 1038, sub primigeniis arabicis eorum titulis utrobique relati, hucusque ignotis. Quos tamen fontes, ut et operis institutum, plenius ac fusius ab auctore ipso expositos habes in praefatione opusculi, quod praecedit eundem codicem 1038. Patet tandem heb. versionem libri Scarascim, vel Radicum R. Jonae ben Ganàh, quae Parchoni

tribuitur, unum eundemque cum nostro lexico librum esse, nec ut a Wolfio T. p. 1037 aliisque fit, ab eo distinguendum. Nota etiam ex ore ipsius auctoris confirmari in ea epigraphe tempus praecisum editi et absoluti operis. Scripsimus autem ben Ganàh, quia sic per he גנאה constantissime ubique legunt, ubi nominatur, bini mei codices, 764 et 1038, non גנאח Ganàch per chèt, ut bis Wolfius cit. loco, pluriesque ad hunc auctorem p. 486 aliique sive judaei, sive christiani bibliographi scribunt.

Haec de Parchonis lexico, inedito quidem ac perraro, sed diu notissimo. At vero de ejus Saharim seu sectionibus, quae sequuntur, de sacrae scripturae ac linguae sanctae syntaxi vel praxi, apud Wolfium ceterosque auctores ne verbum quidem. De hac sua opella ita loquitur auctor sub finem: » Scito quod non omnia tibi scripserim, quae videbantur scribenda, ne libri moles cresceret, ullumque pigeret eum percurrere, sed pauca e multis, ut ostenderem tibi consuetudinem vel praxim sacrae scripturae, et linguae sanctae, ejusque arcana . . . Illud etiam scias velim me litteram esse sectatum, non allegoriam. Itaque si forte quidpiam reperies, quod verbis doctorum nostrorum consonum non sit, ne dicas iis repugnare; aliud enim est litteram, aliud allegoriam inquirere. Quod si interrogent te gentes, vel christiani, apud quos ob iniquitates nostras multas universa extat scriptura ad litteram versa, si tu exponis eis allegorias, quas sectati sunt rabbini nostri, mendacii, vel falsitatis te arguent, dicentque tibi, tu pervertis quod notum est, et loqueris nobis quod non agnoscimus, eo quod non sint apud eos LXX illi modi, quibus lex exponitur, nec tredecim illi, qui conscripti sunt in capite libri, dixeruntque doctores nostri, esto sedulus, vel memineris ex lege tua quid Epicuro, vel infidelibus respondeas juxta sententiam eorum. Necesse autem est, ut is, qui didicerit hoc Arùch, legat has sectiones, quas ad ejus calcem conscripsi, postea vero incipiat ordinem alphabeti; ego autem erravi, quod eas ante, vel initio non scripserim ». Nec inepta et sine re in hoc opusculo lectorem praevenit auctor, multa namque habet dicta liberius receptaeque suorum doctrinae adversantia, nosque jam olim merito conjecimus sub liberiore eo critico, quem sapientem quidem magnum appellat ejusque opus

insigne, sed ejus licentiam acriter damnat fuseque confutat Aben Ezra in libro Tzachud, Parchonem nostrum intelligi. Congruunt enim exempla. V. *Var. Lectiones V. T.* T. I *Proleg.* p. xxxvI in notis. Anonymi libellum צח שפתים, qui tertio loco venit, profert quidem Elias Levita, sed ejus non est, ut male credidit Calasius a Wolfio reprehensus. Meliora tamen non sunt, quae conjicit idem Wolfius T. I p. 80 et 160, esse Aben Ezrae, eundemque cum ejus Tzachùd lascòn. Toto enim caelo discrepat. Postremus liber הורית הקורא *Demonstratio lectoris*, seu ut noster codex legit in plur. הוריות *Orajòth, Demonstrationes*, grammaticus et ipse est et antiquus, de vocalibus agens hebraicis et accentibus. Eum memorant Judas ben Bilham in libro *De accentibus scripturae* Parisiis edito, et Elias Levita in praef. III *Masòred*, notantque Bartoloccius ac Wolfius T. II p. 1289 in Vaticana reperiri. Quod et Vaticanus *Catalogus* ab Assemannis editus confirmat ad cod. 402 Palatinum p. 376, addens in ea sola servari, seu unicum esse Vaticanum illud exemplar, cui modo nostrum hoc accedit. Quotquot autem memorant vel proferunt, omnes ut anonymum proferunt, seu ut ab anonymo judaeo arabice primum editum, deinde vero a R. Menachem ben Nathanael hebraice translatum. Singulare itaque est ac novum, quod ex codice nostro eruimus, ter Mosis nomen, ut auctoris, in opere ipso innui, nihil ultra subjecto, quo ejus cognomen innotesceret. Illud unum pro certo habendum eum Aben Ezra posteriorem esse, qui ab eo producitur. Forte Mosem Kimchium posset quispiam conjicere, qui grammatica alia conscripsit. Post secundum illud Parchonis opusculum haec extat librarii et anni nota majori charactere quadrato germanico cum punctis expressa: » Ego Salomon filius Isaaci, cognominatus Zalkineth, conscripsi hunc librum Arùch ad mei usum, meique seminis in perpetuum, absolvique die XV marchesvàn an. 5133 ab orbe condito ». De Parchone ejusque operibus conferri queunt quae breviter annotavimus in *Diction. jud. auctorum* T. II p. 86 et quae infra scribemus ad cod. 1038.

Cod. 765

Prophetae priores, seu *Josue, Judices, Samuel, Reges*, memb. hisp. in 4.° maj. 2 col. an. 1298.

Luculentissimus codex qui incipit Josue XII 12, sat ac-

curate scriptus, nec egregiis destitutus variis lectionibus, unicus I Sam. xvII 15, et II Sam. vIII 14. Nullam habet masoram, nullas majores initiales, rarius kerì. Ad calcem haec leguntur: » Absoluti sunt hi Prophetae primi die II mensis ellul an. 5058 a creatione ».

Cod. 766

Pentateuchus cum *Targum* et *Commentario* Jarchì, memb. ital. 8.° maj. sec. xiv.

Targum quod interiorem marginem occupat, eodem charactere quo textus, sed minore cum punctis exaratum est, commentarius rabbinico. Ante libros vacuum relictum est spatium, ut prima verba minio ornarentur, initiales sectionum majores, hisque explicit verbis: » Finitus est liber v, laus habitanti in caelis excelsis, absolutique sunt v libri legis, sit laus creatori operis vel artis ». Plures habet varias lectiones bonae notae, sed plura quoque menda. Iis locis, in quibus unicum esse in clavi annotavimus, adde ex appendice rarissimum esse Gen. I 28, et III 15. Saepe etiam singularis est chaldaica hujus cod. paraphrasis.

Cod. 767

Machazòr ital. cum *Sect. bibl.* ac *Psal.* occurr., *Pirkè avoth* cum *Comm.* Maimonidis et Jarchì, *Constitut.* variis ritual. et al., membr. rabb. in fol. an. 1463.

Extat etiam anon. libellus moralis Bahul, et comm. Or jèscah, quorum nulla in Wolfio vestigia. Item Matathiae Rescud nescamà, Azaròthi Sal. Katon, Habacuci Oratio chaldaica, Selichà Jeh. Levitae, Berachà Nehemiae fil. Jacob, Tefilà Jehudae patris R. Eleaz. de Wormatia, Gheulà Aben Ezrae, Rescud kadisc Joabi fil. Bin., Piut Matathiae fil. Isaaci, Constit. mactationis Jeh. fil. Bin. Rophè. Inter eas preces quaedam ignotae. Desunt sub initium aliqua, fol. vero antepenultimo haec legitur librarii nota: » Os autem meum annuntiabit laudem tuam, mi Deus, et gloriam tuam excelsiorem omni benedictione, qui usque nunc benedixisti mihi dignumque me fecisti qui absolverem opus punctationis hujus Machazòr in gr. dom. Jacobi Toscanelli. Sic illum dignum facias eo uti, ut celebret te, exaltetque באר״ך in longitudine (an. 223) dierum. Hoc nomen meum Raphael fil. Levi gallus ».

Cod. 768

R. Jacob ben Ascèr *Jorà dehà* seu II *Ordo Arbà turìm*, chart. rabb. fol. in. sec. xv.

Cod. 769

1.° Anonymi *Comment. in* Saadiae *Librum emunòth* seu *De religionis articulis*.

2.° *Liber Jetzirà* cum *Commentario* r. Saadiae Gaòn.

3.° Id. *Liber Jetzirà* cum *Comm.* r. Jacob ben Nissìm, memb. rabb. fol. sec. xiv.

Ineditus et ignotus est prior ille commentarius in cel. Saadiae libr. emunòth, auctorque ipse incertus. Antiquus is est et doctus, multaque suppeditat ad dignoscendam recentiorem judaeorum de Messia theologiam utilia, eam partem illustrans quae agit de futura redemptione ac liberatione. De libro Jetzirà, cabbalistico et antiquissimo, quem plerique judaei temere Abrahamo patriarchae attribuunt, alii Akibae, fuse ac diligentissime agunt Fabricius in *Codice pseudepigraphico V. T.* ac Wolfius in singulis *Bibliothecae* suae voluminibus sub num. 43. Vide etiam de eo *Dict.* nostrum *jud. auctorum* T. I p. 169. Diversitatem exemplarium, quam notat editor Mantuanus et ex binorum, quae exhibet editio ipsa Mantuae procurata, collatione ac specimine ostendit Wolfius T. I pag. 25, noster hic codex luculenter comprobat. Utrumque enim codicis exemplar non modo ab edito, sed et inter se saepe discrepat. Discrepat et Saadianus commentarius ab eo qui cum textu ipso vulgatus est, ut in titulo monet vetustus codicis possessor, qui tamen perperam ex eo discrimine opinatur binos diversos extare Saadias, Gaonem a Pithumaeo esse distinguendum, priori editum, posteriori ms. hunc esse assignandum. Quis opus hoc arabice primum conscriptum hebraice verterit, quod hucusque ignorabatur, aperte docet nostri codicis subscriptio: » Finitus est commentarius libri Jetzirà, adjuvante Deo, mei manu, ego Moses fil. Josephi fil. doctoris nostri Mosis judicis, fil. r. Nathàn judicis, fil. r. Mosis, quorum memoria sit in benedictione, ex urbe Olisani, quae est in Hispania. Verti autem illum ex lingua arabica in sanctam juxta exilitatem scientiae meae et tenuitatem intelligentiae meae in gratiam cl. doctoris ac rabbini nostri Aaron fil. r. Isaaci ». Cujus auctoris et interpretis vestigia apud Wolfium nulla. Sequitur commentarius alter r. Jacobi ben Nissìm, auctoris item Wolfio ignoti. At vero quum ex *Catalogo* mss. codicum bibliothecae Oratorii Parisiensis a Camusato secum communicato didicerit Wolfius,

ut notat T. IV p. 835, inter eos codices sub num. 20 extare libr. Jetzirà cum comm. R. Jehudae filii Nissim, non dubito quin in exscribendo nomine erratum sit, ipsissimumque Jacobi nostri commentarium contineat. Cognomen Malcà, quod addit Wolfius, in codice nostro deest, videturque et ipsum ex prava lectione enatum. Idem procul dubio est cum eo, cujus quaesita continet cod. noster 117, quem et antiquissimum esse, et ad Scerirae aetatem amandandum, patet ex hujus responsis. Diversus ergo est a patre R. Nissim fil. Jacob, cujus librum de salute Ferrariae impressum olim recensuimus in opusculo *De typographia hebraeo-ferrariensi*. In hac autem praef. testatur Jacobus ben Nissim, quum per plures annos librum Jetzirà Abrahami nomine inscriptum popularibus suis legisset, videretque ob ejus obscuritatem et arcana multos coecutire, nullumque praesto esse qui suppetias ferret, diu de eo interpretando et illustrando haesisse dubium, donec ex Palaestina venerunt Abudani et David Charesc, sive artifex, ambo Fessani, qui librum hunc attulerunt a R. Saadia Pithumaeo expositum. Quem quum examinasset, ostensum sibi a R. Isaac filio Salomonis qui in eadem urbe Keròah degebat, vidissetque auctorem in pluribus errare nec verum libri sensum esse assequutum, eum emendare in hoc suo commentario constituit, et meliora tradere. Arabice autem eum composuit, nam sub finem dicitur is ex arabico translatus ab eodem Mose ben Joseph qui alterum Saadiae transtulit, et in eadem Olisani urbe. Porro in hoc suo opere memorat Jacobus ben Nissim alium suum commentarium in Seder olàm, qui non videtur ad nostra haec tempora pervenisse. Ex initialibus vero linearum litteris tum in eadem praef., tum alibi designatis, patet Salom. quemdam fuisse codicis scribam.

Cod. 770

1.° Pirkè avòth cum Maimonidis *Commentario* hebr. verso a R. Sam. aben Tibbon.

2.° Caput talmud. *Chelek* cum *Constitutionib.* Maimon.

3.° Maimonidis *Liber* vel *Epistola de resurrectione mortuorum* ex heb. versione R. Sam. Tibbonidis.

4.° R. Kalonymi discipuli Maimon. *Lib. Mescarèd moscè.*

5.° R. Samuelis ben Tibbòn *Liber Rùach chen*.

6.° Anon. *Opusc. logicum*.

7.° R. Salom. Gavirol *Cheder malcùd*.

8.° R. SAMUELIS ABEN TIBBÒN *Tract. Ikkavù amaim*, seu *de congregatione aquarum* memb. rabb. fol. 2 col. sec. XIV.

Libri sub n.° 4, 5, 7 et 8 designati anonymi sunt, sed nos ope aliorum codicum eos suis auctoribus vindicavimus. Singulorum enim plura alia apographa supellex nostra suppeditat, ad quae, seu prima quae ordine occurrunt, conferantur annotata.

COD. 771

1.° AVERROIS *Compendium* libri Aristotelis *de Meteoris caelestibus* heb. versum a R. Samuele ben Tibbòn.

2.° Ejusdem *Expositio Isagogis* Porphyrii *ad logicam* heb. versa a R. Jacob Antoli.

3.° Ej. *Expositio* libri Aristotelis *de Categoriis* ex hebr. versione Antoli.

4.° Ej. *Expositio* lib. Aristotelis *de Interpretatione* ex versione Antoli.

5.° Ej. *Expositio* lib. Arist. *de Syllogismo* ab eod. Antoli.

6.° Ej. *Expositio* lib. Arist. *de Demonstratione* ex versione Antoli.

7.° R. JEHUDA' COÈN *Medràs chochmà* seu *Expositio sapientiae*.

8.° R. ISAACI ISRAELITAE fil. Salom liber *Jesodoth* seu *de Elementis* heb. versus a R. Abr. Chasdai.

9.° ABUNASARIS ALPHARABII *Liber de principiis naturalibus* hebr. versus a R. Samuele ben Tibbon.

10.° *Excerpta de stellis*, *IV elementis*, *et de vita futuri seculi*, membr. rabb. in fol. 2 col. sub fin. sec. XIV vel init. XV.

Post titulum I libri Odoth ascamàim interpretis praefatio occurrit hisce verbis incipiens. » Dicit Samuel ben Tibbòn vertens librum hunc, dictum librum de Meteoris, ex lingua arabica in hebraicam in gratiam unius ex studiosis sapientiae et intelligentibus, videlicet R. Josephi Chasid fil. R. Israelis f. m. » Posterioribus tribus Aristotelis libris graeci tituli praeficiuntur, sed hebraicis litteris, notatuque dignissima est epigraphe, quae legitur ad calcem postremi de Demonstratione: » Benedictus Deus qui non abstulit orationem meam, et clementiam suam a me, Jacobo fil. R. Abbà Marì fil. R. Simeonis fil. R. Antolii fel. mem., sed confirmavit robur meum, ut perficerem translationem librorum logicorum, quos composuit philosophus Andalusianus Aben Rascad, seu Averroes pura et distincta oratione ad explanationem librorum auctoris praestantissimae hujus scientiae inter filios Japheti ac philosophorum parentis Aristotelis. Libri porro quos transtuli, sunt

quinque. Quatuor ex iis Aristotelis sunt, videlicet de categoriis, de interpretatione, de syllogismo, de demonstratione, Porphyrii autem qui eos praecedit liber Isagogis. Antequam vero incipiam opus ceterorum librorum, priorum translationem, Deo auxiliante, resumam, ut errores corrigam pro modulo meo. Quod cum perfecero, manus admovebo ad absolvendum opus, eo opitulante qui auxilium fert ei qui indiget, deditque in corde domini nostri regis imperatoris Federici amorem scientiae et eorum, qui eam colunt, ut gratiosus esset mihi, omniaque praestaret mihi et familiae meae. Magnificet Deus clementiam suam cum ipso, ut eum exaltet super omnes reges gentium, adducatque regem Messiam in diebus ejus, et ejus oculi videant ». Valde affinis est haec epigraphe ei, quae legitur ad calc. analiticorum codicis Taurinensis A. V. 9, a Wolfio relata T. IV p. 751, valdeque utilis ad definiendum earum translationum auctorem, quo saepe carent codices, ut non semel vidimus et animadvertimus ad reliquos nostros, qui hucusque occurrerunt. De fuso Jehudae Coèn opere, quod Medràs chochmà inscribitur, singulisque libris eo contentis, seu quod sistit, eorum compendio, superius diximus ad cod. 421. At vero noster hic codex, quamquam absolutissimus, nonnisi primam operis partem complectitur, explicitque auctoris ipsius epigraphe, ex qua discimus arabice primum illud composuisse, deinde vero in sociorum gratiam hebr. transtulisse in Italia. » Primo, inquit, librum hunc concinnavi lingua arabica, sed ut res tulit, descendique in Hetruriam, et ditionem romanam, rogarunt me socii mei, ut illum verterem in linguam sanctam. Quod praestiti pro modulo, precorque unumquemque qui eum legerit, ut aequi bonique eum consulat».

Cod. 772

1.° Anonymi *Compendium* libri Aristotelis *De aere*.

2.° Abunasaris *Diss. de existentia animae*.

3.° Anon. *Carmina sacra*.

3.° r. Eliae philos. *Logica*.

4.° Maimonidis *Epistolae* ad sapientes gallos Lunel *de resurrectione mortuorum*.

5.° r. Aaron fil. Mescullam *Epistola apologetica* pro Maimonide.

6.° r. Meir Levitae fil. Todros *Epistola* contra Maimonidem.

7.° r. Simson fil. r. Abrahami *Epistola* ad r. Meir.

8.° Maimonidis *Epist.* ad sapientes Massiliae, et bre-

vior alia ejus discipuli ad R. Salom. Katòn.

9.° Ej. MAIMONIDIS *Epistola* ad R. Jonathan Coèn fil. David.

10.° R. JEHUDAE ROPHÈ ben Alfacar *Epistola* ad R. David Kimchì.

11.° MAIMONIDIS *Epistola* ad R. Samuel aben Tibbòn.

12.° R. ABRAHAMI MAIMONIDIS fil. Mosis *Epistola fusa apologetica* pro patre, memb. rabb. fol. sec. XIV.

Deficit sub finem illud Aristotelis compendium, ut et Abunasaris dissertatio. Eliae logica extat etiam in Leidensi, et Parisiensi Oratorii; congruit enim codex cum descriptione, quam suppeditat Wolfius T. III p. 94. Quis sit Elias hic philosophus, aperte non liquet. Wolfius celebrem esse Eliam Bescitzi karaeum, auctorem Adered eliav, inde suspicatur T. I p. 150, quod totus ille codex Leidensis nonnisi karaitica scripta comprehendat. In conjectura hac quae non videtur inanis, acquiescimus; nec enim ob aetatis dissidium esse potest Elias Orientalis. Rabbanitarum vel karaeorum neminem in toto opere producit auctor, ex quorum testimonio lux aliqua conjecturae affulgeat, solum sub initium memorans Aristotelem ut primum hujus scientiae institutorem. Maimonidis epistolae ad sapientes Massilienses et Samuelem Tibbonidem editae sunt; sed priores illae ad sapientes Lunel, atque altera ad Jonathàn Coèn in Veneta collectione an. 1545, quae est ad manus, non comparent, nec ullum eorum sapientum ac synagogae praesidum, ad quos directae sunt, memorat Wolfius. Eae porro epistolae, a celebri alia ejusdem Maimonidis de resurrectione mortuorum saepe edita diversissimae, hanc quaestionem respiciunt, num in futuro saeculo et resurrectione animae corporibus unientur, nec ne, negativam quam in magno opere Jad chazachà docuerat, sententiam contra aliter sentientes doctores, qui plures insurrexerant, mordicus defendente Maimonide. Quae sequitur apologetica Aaronis bar Mescullam epistola, unum ex celebrioribus et acrioribus Maimonidis hostibus oppugnat, videlicet R. Meir Levitam filium Todros, cujus scriptum subjicitur. De hujus epist. contra Maimonidem agit Wolfius T. I p. 749, sed de priori illa apologetica Aaronis bar Mescullam, et de auctore ipso, quem Maimonides in illis epistolis ad sapientes Lunel summopere celebrat, silet profundissime. Nec enim esse potest Aaron ille bar Mescullam, quem

ex Salomone ben Virga memorat T. I pag. 128 ut an. 1410 defunctum. De R. Simson fil. Abrahami hoc unum notat Wolfius T. III p. 1158 responsa ejus varia extare inter cetera R. Meir Rotenburgensis Pragae edita. R. Jehudae Rophè epistola responsionis ad R. David Kimchì extat inter Maimonidis epistolas Venet. excusas fol. 38, ubi et ben Alfacàr appellatur. Virulentissima ea est quae incipit *Increpet te satan*, quam se non accepisse, et ex sola fama respondere testatur Kimchius fol. 46 b cit. ed. Ven. epist. Maimonidis. De hujus auctoris epistolis et de auctore ipso nihil, quod miror, habet Wolfius in ordine auctorum, solas Kimchii litteras et controversiam cum eo habitam sub Kimchio ipso innuens T. I p. 310. In postremo fuso scripto, inedito et ignoto, R. Abrahami bar Moscè, seu Maimonidis filii, totus est auctor, ut doctissimi patris, cujus laudes et scripta persequitur, apologiam contra Salomonem ben Abraham, qui epistolam ad rabbinos gallos ediderat, et R. David bar Saul contexat. Idem est Abrahamus noster cum eo, quem refert Wolfius T. III p. 55 et 56 ut auctorem respons. ad quaestiones Danielis Babylonii quae mss. extant inter cod. Huntingtonianos. Nam et in hac epistola eas quaestiones memorat, notatque Danielem praeterea composuisse commentarium in Ecclesiastem, in quo Maimonidem redarguit, Wolfio ceterisque bibliographis ignotum. Atque ea quidem quaesita ac responsa esse super Maimonidis librum Jad chazakà ex ms. Gagnerii *Catalogo* monet Wolfius, non animadvertit tamen, nec novit Abrahamum nostrum esse ipsius Maimonidis filium, ad quem primam suam epistolam pater direxit, quae incipit *Scito, Abraham fili mi*, ac propterea eundem plane esse cum eo de quo egerat sub num. 114. Expungendus ergo posterior num. 118 b III vol.

Cod. 773

1.° Anonymi Liber *Ben mélech veanazìr* hebr. versus ab Abraham Chasdai.

2.° R. Jedajae Badrescitae seu Sal. Gaviròl *Mivchàr appeninìm*, *Delectus margaritarum*.

3.° Aristotelis Liber *Sod asodòth*, *Arcani arcanorum*, vel *De administratione regni*, ex arab. interpretatione Jachiae ben Albatrik heb. haustus.

4.° R. Chananiae fil. Isaaci *Musarè afilosofìm*, *Sen-*

tentiae morales philosophorum heb. versae a R. Jehudà Charizio.

5.° Aristotelis *Liber de virtutibus lapidum*.

6.° Anonymi *Libellus* ej. argumenti.

7.° Aristotelis *Liber de pomo* heb. translatus a R. Abraham Chasdai.

8. R. Eleazaris fil. Judae de Garmiza, sive Wormatiensis *Constitutiones de poenitentia*, membr. rabb. fol. 2 col. seculi XIV.

De libro ben Melech veanazir nonnulla diximus ad cod. 91. Luculentum quod hic sistitur apographum, ab edito interdum variat. De Aristotelis Sod asodòth agit Wolfius T. I p. 222, ex tractatuum enumeratione conjiciens et argumenti similitudine librum de administratione regni, quem supra retulerat sub num. 19, partem hujus secreti constituere. Conjicere melius poterat ac debebat unum eundemque esse librum, nam et octo reipse tractatus liber hic continet, ut praecedens, eademque adamussim singuli tractatus. Idem quoque arabicus interpres Jachias ben Albatrik, seu Johannes fil. Patricii, non Jechija ben Albatrack, ut habent Bartoloccius ac Wolfius, qui et in expositione latina illorum tractatuum corrigendi sunt. Primus enim tractatus agit de variis generibus regum, non regnorum, secundus de ratione, qua gerere seipsum debet rex in rebus suis suisque cogitationibus vel consiliis, non de varia regnorum compositione. Librum Musarè seu sententiarum moralium philosophorum variis inscribi nominibus, multaque ac varia complecti jam supra ad cod. 402 et 424 a nobis observatum est. Singularis novusque plane est titulus חכמות הפילוסופים *Sapientiae philosophorum* toti collectioni in hoc nostro codice praefixus, quamquam et reliqui deinceps Melitzòth, et Musarè usurpentur. Praecedunt academiae, in quibus philosophi plures graeci ordine loquentes introducuntur, deinde vero sectione altera operis exhibentur seorsim cujuslibet musarìm, seu sententiae, Socratis, Platonis, Aristotelis, epistola Aristotelis ad regem Alexandrum, sententiae Alexandri fil. Philippi, Pythagorae, Hippocratis, Galeni, Ptolomaei, Lochmanni, Hermetis, Homeri, Solonis, Euclidis aliorumque, quaesita et responsa philosophorum, epistola matris Alexandri, Alexandri mors et matris oratio, philosophorum academia ante Alexandri feretrum, enarratio deducentium fere-

trum ex Babylone ad Alexandriam, allocutio consolatoria philosophorum ad Alexandri matrem, Aristotelis ad eandem epistola, ejusque responsum. Quum plenius haec hoc codice contineantur, quam in aliis fiat, operae pretium duximus et plenius singula describere. Nota in titulo indiscriminatim modo pluralem, modo singularem etiam numerum musàr, seu moralis doctrinae adhiberi, variaque prodi inter philosophos nomina parum nota, quae videntur corrupta ac depravata. Aristotelis librum de pomo qui et editus est, et in aliis nostris codicibus, occurrit, profert Wolfius, sed silet de altero de lapidibus, ut et de Eleazaris Wormatiensis constitutionibus de poenitentia sub peculiari hoc nomine, quae tamen desumptae sunt ex ejus libro *Ròkeach* Fani primum, deinde vero in aliis urbibus impresso.

Cod. 774

Proverbia cum *Comm*. R. Immanuel fil. Salomonis, memb. rabb. in fol. min. vel 4.° maj. an. 1409.

Desideratur primum codicis folium. In medio sistitur sacer textus sine punctis, ad marg. crebrae Immanuelis commentarii emendationes, seu lectiones aliae textualibus substitutae. Ad ea verba *viam viri in adolescentula* fusissimum extat anonymi scholion, ad calcem vero haec librarii nota. » Testor ego Judas fil. R. Isaaci f. m. galli me hunc Prov. commentarium descripsisse ad usum domini Jechielis fil. Mardochaei. Eum autem absolvi hodie feria I parasc. וצ die XXIV mensis martii an. 169, operisque mei mercedem ab eo rite accepi ».

Cod. 775

Libri Paralip. et Psalmi, memb. germ. in 4.° sec. XIII.

Crassioribus ac rudibus litteris majoribus exaratus. In Paral. nullum masorae vestigium, kerì ipsum si quod occurrit, tamquam varia lectio aliorum codicum ad marg. indicatur. Idem fit in lectionibus aperte mendosis ac falsis. Aliquando producuntur ex aliis codicibus, ut I Paral. XXII 5, lectiones singulares ac nullibi repertae. Interdum, ut II Paral. XXVI 11, rariores bonaeque notae suppeditat. Explicit Psal. CXLIX 4 ad marg. numerato pro CXLVIII.

Cod. 776

1.° Aristotelis *Liber de signis caelestibus*, seu *meteoris* ex expositione Averrois et versione Mosis fil. Samuelis aben Tibbòn,

2.° Ejusdem *Liber de germinibus* ex expositione Averrois et versione Kalonymi fil. Kalonymi.

3.° Ejusdem *De sensu et sensibili* ex expositione Averrois et versione Mosis Tibbonidis.

4.° ABUNASARIS ALPHARABII *Liber de scientiis, earumque numero et utilitate* a Kalonymo versus.

5.° Ejusdem ALPHARABII *Liber de principiis naturalibus* a Samuele aben Tibbòn hebraice translatus.

6.° ARISTOTELIS *Epistola piorum* seu moralis cum *Epistola* vel expositione Alì ex hebr. versione Jeh. Charizii.

7.° ARISTOTELIS vel ALGAZELII *Flores divinitatis* vel *Liber de caussis* a R. Jeh. fil. Mosis fil. Dan. hebr. versus.

8.° *Expositio libri de caussis* ex versione ej R. Jehudae.

9.° R. SAMUELIS TIBBONIDIS *Liber Ruach chen*, vel *Spiritus gratiae*, memb. rabb. 8.° sec. XIV vel init. XV.

A quo meteorologicorum liber translatus sit, codex noster reticet. Illud ergo eruendum ex epigraphe cod. 208, cum quo, paucis exceptis variis lectionibus, adamussim consentit. Est uterque ex versione R. Mosis Tibbonidis, reliqui ex versione Samuelis, qui et commentarium addidit. Hi tamen titulum paullisper immutant, unde Wolfius, ut ad eum codicem notamus, ex uno eodemque libro binos fecit. Quis librum Tzemachim, seu de germinibus verterit, ignorare non possumus. Amplissimnm namque sui testimonium, mensemque et annum absolutae translationis interpres ipse Kalonymus posteris demandavit tum in nostro hoc codice ad calcem, tum in altero 216, ad quem conferantur quae de eo diximus. Sub finem tertii libri de sensu et sensibili legitur: » Vertique eum ex lingua arabica in hebr., ego Moses filius R. Sam. fil. R. Jehudae aben Tibbòn ex Granata Hispaniarum, commorans in urbe Montispessulani, anno 5014 mense tamùz ». Eadem habentur in cod. 208, nisi quod hujus epigraphe de interprete ipso loquatur ut de tertia persona, ac reticeatur incolatus ille Montispessulani, vulgo Monpellier, quem nunc primum codex hic noster pandit. Porro bini hi codices consentientes in lectione *Mosis* erroris damnant codicem 423, qui habet nomen Samuelis. Alpharabii liber de scientiis hac explicit nota: » Finita est translatio hujus tractatus die XXVII omer an. 74 min. supp. », Ch. 1314. Videlicet ipsissimo anno, quo in superiori epigraphe libri de germinibus dicitur a Kalonymo ab-

soluta ejus versio, ita ut ab eodem Kalonymo, qui et ea aetate, ut vidimus, alia multa interpretatus est, non temere et noster hic Alpharabii liber conjiciatur translatus. Integrum ignoti libri titulum produximus sub cod. 458, qui et eum complectitur. Alterum ejusdem de principiis naturalibus, cujus quatuor diversa apud nos extant apographa, a Samuele Tibbonide hebraice versum fuisse ex Bartoloccii exemplari monuimus ad cod. 207. Nostrorum enim nullum exprimit. Aristotelis morali epistolae haec interpres praemisit. » Dicit Jehudà fil. Charizi: Isthaec est epistola chasidim, seu piorum, quam composuit philosophus Aristoteles et ex lingua graeca in arabicam transtulit sapiens quidam ismaelita nomine Alì, qui et epistolam suam moralem addidit. Hoc autem est exordium epistolae dicti Alì ». Fere eadem praemittit cod. 424. De libro פרחי אלהות *florum divinitatis*, aliter dicto ס' העלות *Libro de caussis*, satis diximus ad cod. 286, ubi luculentum nostri codicis titulum illustrationis gratia protulimus a duobus aliis confirmatum 315 et 1174, in quo monetur a nonnullis Aristoteli, ab aliis Algazalio illum fuisse attributum. Monuimus etiam Jehudae interpretis nomine quod sub initium legitur, Jehudam filium Mosis filii Danielis esse intelligendum, ut plenius habetur in binis illis postremis codicibus. Sequitur hic seorsim » Expositio libri de caussis ex versione philosophi divini, seu metaphysici R. Jehudae fel. m. ». Quae cujus sit, non dixerim. Nam si versionis vocabulum refers ad librum de caussis, expositio esse potest ipsius interpretis Jehudae, qui nonnulla loca, ut solent interpretis, illustraverit ac suppleverit. Si, ut videtur, ad expositionem, alterius ea sit necesse est, anonymi nobisque incomperti auctoris. Jehudae tamen certo esse opinor proloquium de libro Procli, quod nos ex marg. nota ad cod. 286 jam produximus.

COD. 777

R. ISAACI DURENSIS *Saharè durà, Constitutiones rituales* cum *scholiis*, chart. rabb. in 4.° min. sec. XV.

COD. 778

LIBER PRECUM major cum *Pirkè avòth*, *Hymno* Jeh. Levitae ac *Psal.* occ., memb. rabb. mutil. in 12. maj. sec. XIV vel init. XV.

COD. 779

PSALTERIUM, memb. ital. 16. init. sec. XV.

Prima vox aurea, initiales reliquae rubrae, legiturque ad calcem librarii nomen: » Confortetur Abraham minimus ». Praemittitur index psalmorum, exque nota quae primo folio conspicitur, pertinebat olim ad Menachem quemdam fil. Mescullam de Terracina. Rariorem codicis lectionem habes in *Scholiis criticis* Psal. xxiI 24.

Cod. 780

Job, Prov., et v Meghillòth, memb. ital. 16. sec. xv.

Vergunt tamen litterae nonnullae ad form. germ., in ordine voluminum Ecclesiastes praecedit Threnos et Esther, terque legitur ad calcem librorum amanuensis nomen Abrahami.

Cod. 781

Siddur seu *Ordo precum totius anni* cum *Cantico* Mosis ac *Psalmis* occurr., memb. rabb. 12. sec. xv.

Nitidus, aureisque litteris et ornatu varii coloris in fronte insignitus. Ad calcem recentiori manu annotatus est an. emortualis 342 Salomonis Josuae de Aretio, ejusque epitaphium.

Cod. 782

Biblia cum *Masora*, membran. hisp. 4.° a col. a. 1277.

Codex elegantissimus, sub cujus initium in medio ornatus haec leguntur quatuor versibus complexa: » Si quispiam interrogat te, cujus es, et in cujus nam gratiam omne hoc descriptum? responde ei, in gratiam servi tui Isaaci fil. principis Aaron servi Dei qui statuta dat ». Sequitur tabula aphtaròth, variae lectiones ben Ascer et ben Naphtali, aurei typi candelabri, arcae, mensae, variorum instrumentorum, index masor. litterarum singularium et mutationum quae occurrunt. In Agiographis servatur ordo hispanicus ac masorethicus, unde incipiunt a Paralipomenis, libri poetici in hemistichia dividuntur, Psalmi titulo insigniuntur Teilòth, seu Laudum, Esther Assueri, ad marg. alii codices producuntur, et Hillelianus quidem saepissime. Ad calcem novi masorethici indices occurrunt vocum anomalarum, quae aliter leguntur et scribuntur, majuscularum litterarum, ac minuscularum, suspensarum, dictionum quae scriptae non sunt, sed leguntur, cum earum expositione, quos sequens excipit epigraphe eleganti circumdata ornatu ex minutioribus litteris contexto: » Ego Chaiim fil. r. Israel scribae fel. m. descripsi hos xxiv libros ope creatoris rerum creatarum ex mandato cl. et electi inter amicos r.

Samuelis Levitae ... Absolutum est autem opus ministerii sancti an. 5037 ab O. C. Toleti, salus accelerit ». Kennicottus, qui Taurini eum conferendum curavit, numerum ei assignavit 409, typographicoque mendo in generali illius *Dissertatione* refertur ad an. 1247. Sed majus sane est pretium ac laus, quae huic codici evenit ex usu critico, quem ejus instituit R. Salomon Norzius, celebris elapsi seculi scriptor, tum in procuranda accuratissima Mantuana, Bibliorum editione an. 1742, Minchàd scai communiter dicta, tum in ferendis in commentario, quem subjecit, de lectionum auctoritate perpetuis judiciis. Ubicumque enim proferuntur ms. Biblia Toletana, noster hic codex intelligendus. Vide *Var. nostras Lectiones* I Reg. I 18, Ezech. xvI 36, Prov. xxvIII 23, et ad alia loca. Ex binis etiam notis, quae codicem claudunt, videtur olim is ad Norzii nostri progenitores pertinuisse. In prima namque dicitur venditus feria III die v julii an. 251, Ch. 1491, R. Mosi fil. Jehudae de Norzi, in secunda ab ejus vidua an. 267 Isaaco fil. Danielis de Norzi. Quamvis porro hispanicus ac masorethicus sit codex, plures tamen servat varias lectiones, plerumque ex prima manu, quarum rariores habes Jud. vI 15, Jerem. xvIII 20, Ezech. xvI 47, xxxII 17, Oseae I 2, Cant. vIII 4, Psal. II, Prov. vI 5. Unicus est etiam in *Scholiis criticis* Isai. LxI 8.

Cod. 783

Pentateuchus, in corio hisp. aetatis duorum seculor.

In forma voluminis ad synagogarum usum, vulgo Sefer torà, et quidem praegrandi. Quaelibet columna constat lineis 56, character elegans, abrasiones et correctiones frequentes.

Cod. 784

Samuelis, Isaiae, Jeremiae *Fragmenta* cum *Targum* alternis versibus, memb. germ. fol. max. 3 col. sec. xIII.

Complectitur II Sam. v 20 ad xIII 39, xvII ad 21, Isaiae vII 12 ad 14, x 21 ad xI 13, xLI 2, xLII, Jer. xLvIII 11 ad 43, xLIX 22 ad L 36, LI 16 ad 45.

Cod. 785

Exodi *Fragmentum* cum *Targum*, memb. germ. fol. sec. xIII.

Sine punctis et continet cap. xIx.

Cod. 786

Canticum canticorum, memb. germ. in fol. min. 2 col. sec. xIII.

Excerptum ex Machazor cum fragm. sect. כי תשא.

COD. 787

OBADIAS et JONAS ad II 5, *Fragm.* memb. germ. 4.° 3 col. exeuntis sec. XII vel in. XIII.

COD. 788

ESDRAE, NEHEMIAE, PARALIP. *Fragmenta* cum *Masora*, memb. germ. 4.° 2 col. sec. XIII.

Continent Esd. X 31, Neh. I ad II 3, VII 4 ad 39, I Par. VI 9 ad 45, X 13 ad XI 19, XIII 3 ad XV 20, XVII 25 ad XIX 2, XXVI 25 ad XXVII 13, II Par. I 6 ad II 6, X 2 ad XI 1, XV 8 ad XVI 8.

COD. 789

BIBLIA cum *Masora*, memb. ital. in fol. 2 col. ante 1283.

Extat sub initium codicis nota nativitatis filiae antiqui possessoris mensis ellul an. 43 min. supp., Ch. 1283, folio autem praecedenti legitur majoribus litteris: » Mei est, Joseph Coèn fil. Josephi Coèn f. m. de Terracina hodie commorantis Prati ». Character in multis locis vetustate valde detritus ad hisp. accedit. Nullae occurrunt majores initiales, sub finem singulorum minorum prophetarum habetur, ut in 782 aliisque hisp., numerus versuum, servatur in agiographis ordo talmudicus, Estheris liber dicitur Assueri, habetque codex multas eximias variationes. Unicus est Isai. VII 5, XIX 20, Jerem. II 31, fere unicus Jerem. XLIX 22, Ezech. XXII 4, XXXIV 16, Esd. VIII 14, rarissimus Jerem. L 34, Dan. V 8, Neh. IX 17, II Paral. VIII 9, in *Scholiis* Deut. XXXIII 4.

COD. 790

R. MOSIS KOTZENSIS *Liber mitzwòth gadol*, seu *praeceptorum magnus*, memb. rab. fol. maj. 2 col. an 1462.

Magnificus ac pulcherrimus codex, ad cujus calcem notam hanc calligraphus posteritati demandavit: » Impositus porro est finis universo operi cultus sacri libri hujus magni praeceptorum mei opera, Elchanan fil. Simson de Calabria die IV mensis V an. 5222 ab orbe condito. Finitus est autem hic Eugubii in gratiam cl. R. Samuelis fil. R. Jekuthiel ».

COD. 791

R. DAVID KIMCHÌ *Liber scarascìm*, vel *radicum*, seu *Lexicon hebraeo-biblicum*. Accedit anonymi *Lekach tov*, seu *Doctrina bona* de vocibus servilibus cum fuso *poemate*, memb. rabb. in fol. an. 1354.

Notantur ad marg. scripturarum loca, unde desumuntur exempla, saepeque nova adduntur Kimchio inobser-

vata. Ad calcem lexici: » Absolvi hunc librum die xvI mensis xI an. 114 sexti millenarii ». Sequitur sectio de accentibus anonymi auctoris quae unicam paginam occupat. Deinde opus illud grammaticum לקח טוב de litteris servilibus Wolfio aliisque bibliographis ignotissimum. Praecedit fusissimum carmen, Abbae Mari, de quo infra, dicatum, auctorisque praefatio, in qua post multas tributas laudes R. Abbae Marì fil. R. Kalonymi, asserit se eum docuisse linguae institutiones ac poesis regulas, ex prioribus autem illis a discipulo ipso ut facilius memoriae mandarentur, calamo exaratis, aliorumque libris potiora quaedam delegisse hoc libro complexa. Quae eo traduntur, multam affinitatem habent cum iis quae peculiari sectione de vocibus servilibus tradit auctor Pedach devarai, sed nostra haec sunt multo pleniora tum quoad voces, tum quoad exempla, et quamvis sub finem nova auctoris de se suoque hoc libello nota habeatur, nullibi tamen proditur ejus nomen. Pag. ult. dicitur venditus an. 252.

Cod. 792

Isaiae *Fragmentum* cum *Targum* et utraque *Masora*, memb. germ. f. maj. sec. xiiI. Quatuor columnis constant paginae, quarum binae sistunt sacrum textum, binae aliae minoribus litteris ac laterales targum. Complectitur cap. xxxix 2 ad xl 8, et xlvII 11 ad xlviiI 10.

Cod. 793

R. Isaiae filii Eliae *Piskè seder nassìm*, seu *Decisiones ordinis talmudici de mulieribus*, memb. rabb. fol. 2 col. sec. xiv, vel init. xv

Sub titulo Piskè extant quoque ineditae hae decisiones in Cantabrigiensi ac Bodlejana, cujus codicem ex Gagnerio delineat Wolfius T. iv p. 889, iterumque in nostra sub n.° 934, sub altero vero Alacòth vel Constitutionum in Vaticana. Dividitur namque opus per constitutiones, posterorique hoc nomine ad calcem nostri codicis appellatur, qui earumdem titulos exhibet nitide et eleganter rubro charactere exaratos. Plura de hoc auctore Wolfius sub n.° 1300, sed male ei tribuit commentarios in Pent., Prophetas et Agiographa, qui potiori jure assignandi sunt Isaiae priori. Vide annotata ad cod. 195. Contra Azulai multa ad priorem refert, quae sunt posterioris, inter quae et decisiones nostrae ordinis nassìm. Erat is nepos Isaiae Tranensis, prioris dicti, seu filius

filiae ejus, floruitque annis circiter 30 post mortem avi, an. 31 sexti millenarii, aerae nostrae 1371. Fuit enim aequalis R. Meir filii Baruch, qui in opere Mordechi in Ghittin testatur se quaedam ab eo traditione accepisse, in Jevamoth vero annum decurrere 5031. Sic Jachias in *Scalsceled* fol. 51 b, et 54 a. Nota verba *sicque retulit mihi R. Isaias de Trani* evidentissime esse R. Meir filii Baruch, non auctoris *Scalsceled*, ut prave intellexit Wolfius T. I p. 706 in nota ad calcem posita, qui Isaiam alium Tranensem Jachiae coaevum idcirco perperam confixit. Extat tamen in iis verbis lectionis varietas. Codex meus 929, qui Mordechì textum exhibet an. 1391 conscriptum, legit cap. Nesikin *Sicque retulit mihi R. Oscajà nomine R. Isaiae de Trani*. Auctor *Korè adoroth*, qui fol. 21 brevissime de nostro auctore agit, quem male זקן, seu seniorem appellat, legit *sicque retulit mihi R. Isaias nomine R. Isaiae de Trani*.

COD. 794

1.° R. Mosis Nachmanidis *Commentarius in Pentat.*

2.° Ejusdem *Comm. in Job*, memb. rabb. fol. sec. XV.

Crebra scholia ac notae ad marg., quae plerumque praeseferunt varias lectiones al. codicum, sub fin. vero librarii nomen Jacobi occurrit.

COD. 795

Canticum canticorum, Ruth et Ecclesiastes cum *Commentario* Jarchì, memb. germ. fol. sec. XIII.

Sub initium Ruth ingenioso quodam ornatu, quo et varia animalia repraesentantur, exhibetur masora.

COD. 796

Numerorum *Fragmentum*, memb. germ. fol. 2 col. sec. XIII vel init. XIV.

A cap. XVI 15 ad XVII 2, et a XVIII 14 ad XIX I.

COD. 797

Proverbia cum *Commentario* R. Immanuelis fil. Salomonis, chart. rabb. in fol. sec. XIV vel init. XV.

Rabbinicus etiam quoad textum, qui tamen sub finem charactere exaratus est quadrato germ.. Punctis destituitur et metrice dividitur. Praefationis initium deest, saepeque varias Immanuelis lectiones margo exhibet, aliquando et scholia ex Kimchio desumpta. Explicit sine ulla amanuensis epigraphe peculiari, quem tamen Menachemi ac Salomonis nomen habuisse conjicio ex initialibus linearum litteris punctis alicubi designatis, quae illud praeseferunt.

COD. 798

R. DAVID KIMCHÌ *Commentarius in Psalm.*, memb. rabbin. in 4.° maj. sec. XIV.

Aureis litteris ornatuque varii coloris stipatus est titulus codicis. Vario eo colore distinguuntur etiam et exornantur tituli psalmorum. Antichristiana loca diligenter primum abrasa sunt, sed recentiori manu restituta. In indice psalmorum qui succedit, ii numerantur 149, in inferiori vero marg. contractus venditionis occurrit, quo notat Samuel fil. Meir Latef se commentarium hunc vendidisse Mosi fil. Nathanaelis de Norzi statutamque mercedem accepisse an. 273, Ch. 1513. Postrema pagina designantur antiquiores epochae nativ. filiorum antiqui possessoris an. 152, 153, 155, 156, Ch. 1392, 1393, 1395, 1396.

COD. 799

ORDO seu BREV. *precum* cum *Cantico Exodi*, *Psalmis* variis, *Comm. Tasbètz*, ac multis *Constitutionibus* ex Alphesio, Maimonide, Jarchio, Mose Kotzensi, Baruch de Garmiza, Mordechi, Samàk, aliisque collectis, chart. rabb. fol. sec. XV.

Descriptus a Menachem filio R. Abr. de Liones, vel Lions ut legitur ad calcem constitutionum, ad cujus nutum absolutae etiam dicuntur in fine codicis a Nathanaele fil. Josephi de Monte real sectiones vetiti et liciti.

COD. 800

1.° R. PERIPÒTH DURAN, vulgo EPHODAEI, *Mahassèh ephod*, *Opus ephod*.

2.° Ejusdem *Chèsev ephod*, *Cingulum pectoralis*.

3.° R. SAL. BEN ABBA' MARÌ JARCHAI *Lescòn limudim*, *Lingua eruditorum*, membr. rabb. 4.° 2 col. sec. XV.

Elegans minioque et auro in fronte condecoratus est codex, ineditaque scripta eo contenta. Horum primum absolutissimam Ephodaei grammaticam complectitur, judaeorum ac christianorum laudibus diu celebratam, dignamque non modo, quae latine a Pagninio verteretur, teste Jacobo Quetif, sed et quae typis fuisset excusa. Multa enim rarioris eruditionis ac litteraturae capita conjungit auctor, quae in nullo alio grammatico opere pertractantur, ut patet vel ex iis excerptis, quae ex hoc libro dederunt Buxtorfius ac Morinus, dedimusque olim nos ipsi ex ms. Taurinensi in *Disquisitione de praecipuis caussis neglectae hebr. litterarum disciplinae*. Fusa operi praefatio praemittitur, in qua de variis studiorum generibus, iisque recte insti-

tuendis diserte agit Ephodaeus; talmudici quidem, cabbalistici, philosophiae et externarum scientiarum utilitatem, necessitatem, praestantiam celebrans, etiam nimis pro praejudicata gentis suae mente, biblico tamen merito primatum attribuens, quod dolet a suis negligi, pro ejusque recta ac felici institutione xv praecepta vel consilia subjiciens. Praefationem excipit index capitum, quae tria sunt supra triginta, non sexaginta sex, ut mendose habet Sabtaeus, et ex Sabtaeo Wolfius T. I p. 994. Prioribus sex capitibus de linguae essentia ac natura, de ejus caussa finali, de caussa efficiente, de ejus partibus, de sermone vel locutione per signum vel litteram, de vocalibus et accentibus, et de organis vocum disserit, capite vero vII de imminutione, quae linguae hebraicae contigit, ejusque apud suos oblivione, ignorantia, neglectu. Ignorantiam adeo supinam depingit, ut nec unum quidem sua aetate esse dicat, qui perfecte eam calleat, nec in ea erret, neglectum vero tanti ponderis ac damni, ut neglectum ipsius legis ac religionis secum trahat, producto in hanc rem luculento veterum sapientum testimonio: » Filii Judae seu judaei, qui linguae suae fuerunt studiosi, confirmata est lex in manu eorum, galilaei vero qui linguam suam neglexerunt, neutiquam confirmata est lex in eis. Vide, subdit Ephodaeus, quantum detrimentum ex neglectu linguae oriatur! Dico autem ego hanc caussam fuisse perditionis israel gladio, eorumque dispersionis, ac dejectionis, et subversionis legis propter ignorantiam virorum illorum, imminutamque eorum peritiam in lingua. Textus autem producit illos, ut moneat defectionem religionis vel fidei, et fuit quod fuit, quod jam scis, hocque fortassis intelligitur, dum dicit, galilaei qui neglexerunt ec., quia viri galilaei fuerunt ». Ephodaeus innuit hic procul dubio apostolos nostros ac Jesum. Recensens cap. vIII hebraicae linguae restitutores, merito tamquam omnium primum laudat Saadiam ad principatus honorem anno 4687 evectum, qui tres libros de re grammatica composuit, qui ad nos, inquit, non pervenerunt, deinde Hai auctorem libri מאסף, Jehudam Chiug grammaticorum principem, Adonim ben Livrat, Jonam ben Ganach Cordubensem, et Aben Ezram, Kimchio utroque praeterito, ac praesertim Davide, in quem saepe acerbe invehit. Capite xxI

afferri video insignis grammatici Meir ben David librum contra Jonam ben Ganach, inscriptum השגת ההשגה *Animadversio animadversionis*, cujus altum apud Wolfium aliosque extat silentium. Capita xxvII, xxvIII, xxIx illustrandae sacrae criticae et syntaxi consecrantur, xxxII exponendo verae pronunciationis defectui in litteris, in vocalibus, et quod gravius est, in nomine ipso ineffabili, unde hodierni exilii diuturnitas ex Ephodaei sententia est repetenda. » Invocamus enim eum, inquit, nominibus appellativis et alienis, nec frustra is dixit, ponite nomen meum et ego benedicam vobis, et iterum, ubicumque commemorabo, vel commemorari audiam nomen meum, veniam ad te et benedicam tibi, quoniam haec est nominis illius ineffabilis et magni proprietas, ut declinare faciat benedictionem super eos qui illud memorant animo puro. Haecque est caussa diuturnitatis exilii, in quo oramus nos quidem continuo, esto beneplacens erga populum tuum, et Sion inhabita, colantque te filii tui in Jerusalem, idque annis abhinc mille tercentis et triginta quinque, et quamvis multiplicemus preces nostras, ipse non audit ». Nec porro unquam audiet, si ex recta id ejus nominis pronunciatione pendet. Quando enim et a quo eam discent judaei? Aut quando nam docturus est Deus, qui unus docere potest, si is non audit? Hinc inania sunt quae subdit consolatoria verba ad suorum animos erigendos, eosque ab incredulitate ac desperatione revocandos. » Sane si retardat, jam testatus est seipsum fore revelaturum et patefacturum nobis nomen suum, ut dixit, nec docebit ultra vir proximum suum et fratrem suum dicens: Cognoscite Jeovàh, seu Dominum, quia omnes cognoscent me a parvulo usque ad grandaevum, dicit Dominus ». Aliam ac veriorem diuturnitatis caussam nos alibi prodidimus in tractatu *De vana judaeorum expectatione*. Nota in hoc textu, quo caput xxxII absolvitur, annum indicari, quo Ephodaeus scribebat, annum videlicet 1335 a destructo templo, qui respondet anno orbis conditi 5163, nostro 1403. Postremo capite in illud inquirit auctor, quare lingua haec sancta vocetur. Haec de Mahassèh ephod. Alterum quod sequitur, nostri auctoris opus חשב האפד seu Cingulum ephod, astronomicum est, non arithmeticum, ut male notat Buxtorfius et ex Buxtorfio Wolfius T. I p. 993, qui vix illud

memorant. Constat capitibus XXIX, illudque composuit Ephodaeus an. 1395, ut patet ex cap. V, ubi decurrentem annum describens notat eum esse 5155 a creatione. Capite XXIII totam intercalationis doctrinam fuso poemate comprehendit, quo ostendit esse se et poetam egregium. Superest R. Salomonis ben Abbà Marì Jarchai vel Jarchii, ירחי cum duplici jod, opus לשון למודים, seu *Linguae eruditorum*, quod hebraicae grammaticae sistit compendium. Illud sub celebris R. Sal. Jarchì nomine ab Abr. Balmesio produci in *Mikne avraàm* monet Wolfius T. I p. 1068, qui proinde Balmesii auctoritati innixus librum hunc inter Jarchii scripta retulit. Ac magna equidem nominis extat affinitas, nam Abbà marì tituli esse possunt, et sunt aliquando, honoris patris, et Isaacidem raro quidem, sed tamen interdum Jarchii nomine appellari alibi vidimus. Sed falli procul dubio Balmesium nec celebri Rascio librum posse tribui ex ejus contextu aperte colligitur, in quo Davidis Kimchii testimonia et opera commemorantur, qui erat eo aetate posterior. Extant et marg. scholia ex Mose Kimchì, Davidis fratre, seu ex notissimo ejus opere grammatico Maalàch desumta.

Cod. 801

Agiographa seu *Psalmi*, *Proverbia*, *Job*, *Esdras*, *Nehemias*, *Paralipomena* et *Daniel*, memb. ital. 4.° sec. XIV.

Incipit Psal. CXI 6. Initialia librorum vel psalmorum verba, in Jobo etiam capitum, majora sunt, saepeque per integram lineam continuata, libri poetici hemistice divisi. Ad calcem Paralip.: » Ego Levi fil. R. Aaron incepi hunc librum in gratiam R. Abrahami f. m., absolvique filio ejus dilecto R. Salomoni ». Nomina etiam possessoris Abrahami, et scribae Levi Chelpan leguntur sub fin. psalmorum. Codex pretiosus et uberrimus var. lectionum fons, unicus Prov. XVIII 23, Job V 13, XXXI 7, Neh. IV 17, XII 8, fere unicus Job XXIV 25, XL 2, Esd. VIII 17, Dan. VIII 22, Neh. IX 18, I Paral. XXI 9, II Paral. VII 6, perrarus unusque e paucis Job XXVIII 27, XXXIV 36, Dan. II 5, I Par. II 46, et 48, III 10, V 1, XV 21, II Paral. VI 17, XXV 23, XXVI 11, XXXI 13, XXXV 4.

Cod. 802

Machazòr italicum cum *Sect. Pent* ac *Proph.*, et *Psalmis* occurr., *Targum Aphtaroth*, *Pirkè avoth* cum *Comm.* Maimonidis, ej. *Perachìm*, seu *VIII Capitibus*, Jeh. Le-

vitae *Hymno* ante purìm, *Azaròth* Gavirol et Eliae, *Tochechà* R. Bechai, *Cantione* rythmica Raphaelis fil. Isaaci Pientini, *Gheulà* Aben Ezrae, memb. rabb. 4.° sec. XV.

Primo folio verso occurrunt notae venditionis an. 254, Ch. 1494. Maimonidis commentario praemittuntur octo ejus capita, et praefatio interpretis Sam. Tibbonidis. De rythmica cantione Raphaelis Pientini, et auctore ipso Wolfius silet. Ea inscribitur Tachanùn, et dicitur composita die VI tisri an. 211, ex quo aetas auctoris, cujus nomen initiales versuum litterae etiam produnt, colligitur.

Cod. 803

R. Isaaci de Korbeil *Amudè golà*, seu *Liber parvus praeceptorum* cum auctoris *Epistola*, et *Scholiis*, membr. germ. 4.° 2 col. an. 1404.

Praemissus est operi index praeceptorum, et auctoris epistola, qua singulis synagogis et judaeis ejus lectionem et descriptionem commendat, et in cujus titulo annus compositionis libri, Wolfio aliisque bibliographis ignotissimus, disertissime indicatur. » Hanc epistolam misit doctor ac praeceptor noster R. Isaacus de Korbeil fel. mem. ad omnes synagogas sanctas. Ipse autem librum hunc composuit anno 37 minoris supp. » Ch. 1277. Hanc eandem notitiam in mss. codicibus rarissime obviam, nec in ullo alio ex nostris septemdecim contentam, suppeditat et cod. Bodlej. 288, ut patet ex Uri *Catal.* p. 49. Quo luculento testimonio erroris damnari doctiores judaeorum bibliographos, Jachiam et Zacutum, qui emortualem nostri auctoris annum ad 5000, vel 5030, Ch. 1240 vel 1270, amandant, animadvertimus ad cod. 571, ubi praeterea ex indubiis aliorum codicum epigraphis ostendimus, nonnisi anno 40 supra quinque millesimum, aerae nostrae 1280, eum decessisse. Praeter consuetas Meir Rotenburgensis et Peretz emendationes in textu ipso occurrentes suppeditantur ad marginem aliorum scholia, sub finem vero hanc amanuensis notam subjecit: » Hunc librum praeceptorum, quem composuit doctor ac praeceptor noster R. Isaac de Korbeil fel. m., descripsi ego Josuas filius R. Abr. Levitae f. m.. Scribendi initium fuit die XV mensis sivan, finis die XXIV mensis av an. 5164 a creatione, scripsique eum pro cl. praeceptore meo R. Elia, quem Deus tueatur... Ego Josuas fil. R. Abr. Levitae supradictus rite accepi e

manu R. Eliae fil. R. Sedeciae meam mercedem pro descriptione hujus libri ».

COD. 804

MACHAZÒR italici ritus cum *Sect. biblicis* ac *Psalmis* occ., *Targum* in *Aphtaroth*, *Pirkè avoth*, *Expositione cantici Exodi* et *Decalogi*, memb. rabb. 4. 2 voll. sec. XIV vel XV.

Antiqua est expositio Vajòscah, seu cantici Exodi, et decalogi, utraque sub titulo Milè, nec ut videtur, a Medràs diversa. In Decal. alia praeterea extat Sal. Jarchì. In ordine precum multa extant, quae auctorum nomina exhibent in fronte, ut Azaròth Eliae et Salom. Katòn ben Gaviròl, Jeh. Levitae hymnus, qui dicitur Mì camòchà, Rescùd R. Biniamini, Tochechà super morte justi et sancti R. Eliae fil. Samuelis feria sabbathi die XX tamuz an. 1230 ab everso templo, Tochechà alia ej. Eliae sancti fel. m., Selichà David fil. Mescullam, alia Abrahami, alia Rascì, Piùt pro succòth Matathiae fil. Isaaci, cujus nomen dant carminis initiales, aliud ejusdem carmen, Rescùd Joabi de synagoga, Vidui Saadiae, ad marg. Aben Ezrae Seder avodà. Puncta, quibus alicubi Jekuthielis nomen notatur, innuunt profecto amanuensem.

COD. 805

1.° R. LEVI GERSONIDIS *Commentarius in Proverbia*.

2.° Ejusdem *Commentarius in Librum de demonstratione*, seu *analiticorum* II Aristotelis ex expositione Averrois.

3.° Ej. *Commentarius in Aristotelis Librum de syllogismo* ex expositione Averrois.

4.° Ej. *Comm. in Librum* Aristotelis *de caelo et mundo* ab Averroe abbrev. et expositum, chart. rabb. 4.° sec. XV.

In titulo primi libri auctor vocatur mestre Leon, quo nomine, potissimum si addatur, ut plerumque fit, de Banjolas, notum est celeberrimum Gersonidem designari. Ac congruit reapse codex cum edito ejus comm. in Proverbia, nisi quod in calce addat annum absoluti ab auctore operis, qui in variis quas prae manibus habeo, editionibus et ut opinor, in omnibus omittitur, etiam in principe ipsa an. 1492, ad an. 1497 mendose, ut alibi observavimus, hucusque relata. » Hicque finis huic commentario imponitur; cecidit autem ejus finis in diem III mensis jiar an. 98 sexti millenarii. Benedicatur et exaltetur Deus, qui nos dirigit ad rectum, et extollatur super omni benedictione ». Non dubito ergo, quin in exscribendo anno codicis Sor-

bonici a Wolfio erratum sit, eique 5095 pro 5098 exciderit, qui respondet anno aerae christianae 1338. Comm. in lib. II analiticorum Gersonidis nomen non praesefert in titulo nostri codicis, sed sub eo extat in Vaticana ac regia, modo nationali, Parisiensi. Qui sequitur de syllogismo illud habet aperte in fronte cum praefatiuncula; at vero postremus de mundo iterum auctoris nomen omittit, quod diserte supplet codex Vaticanus. Prior ille exprimit etiam in fine annum, quo ab auctore absolutus est, 79 sexti millenarii ab orbe condito, Christi 1319.

Cod. 806

1.° R. Peripòth Duran, dicti Ephodaei, *Mahasseh ephod*, seu *Opus ephod*.

2.° R. Matathiae fil. Isaaci *Jesod chochmà*, seu *Fundamentum sapientiae*.

3.° R. Isaaci Coen *Epistola* ad Marcum Lippomanum Venetum, chart. rabb. 4.° sec. xv.

De inedito grammatico libro Mahassèh ephod, cujus primum folium deficit, plura paullo supra commentati sumus ad cod. 800. Ignotus est auctor et libellus ipse 2.° loco recensitus. Agit is de nomine ad illustrationem loci Aben Ezrae in libro Moznaim, et in v partes dividitur, sed nonnisi pars I operis extat, eaque, ut videtur, incompleta, sic, ut opinor, ab auctore ipso relicta. Nam hoc esse ejus autographum constat ex primo folio, quod mutavit ac rescripsit, avulso quidem, sed integro adhuc remanente quod prius scripserat. R. Isaacum Coèn Euclidem arabice vertisse, qui ms. extet in Escorialensi, in *Bibliotheca orientali* monet Hottingerus, et ex Hottingero Wolfius T. I p. 668. Nec dubitandum, quin idem plane sit auctor cum nostro, cujus est epistola ad Marcum Lippomanum, quem Venetum incircumcisum, seu christianum appellat, nam et in hac epistola arabicas conjugationes exponit; sed de ea profundum apud utrumque eum auctorem extat silentium.

Cod. 807

R. Jechiel fil. Jekuthiel *Liber mahalòth amidòth* seu *de praestantiis virtutum*, memb. rabb. 4.° exeuntis sec. xiv.

Accedit ad calcem ejusdem auctoris poema, quod libri compendium exhibet, et extare etiam in cod. 151 ad eundem codicem vidimus, eodem praefixo titulo.

Cod. 808

R. Sal. Jarchi *Commentarius in tractatus talmudicos Jom tov*, seu *Betzà*, *Ros*

ascanà, Chaghigà et *Maskin*. Accedit R. Isaiae *Decisio* in cap. I Jom tov, memb. rabb. 4.° an. 1321.

Priores tres tractatus pertinent ad ordinem Mohed, seu de sacris festis, postremus ad ordinem Taoròth seu purificationum. Post Chaghigà extat Isaiae decisio, quo si nudum ac simplex nomen respicis, prior innuitur, ut observavimus ad cod. 195. Posterior enim communiter dicitur Riaz, seu postremus, vel filius Eliae. Prior etiam multas decisiones conscripsit in tractatus talmudicos ac praesertim in ordinem Mohed, quarum tres, seu Piskè Sciabbat, Eruvin ac Pesachim, mss se habere, binas autem alias, in Jomà ac Mehilà, se vidisse testatur Azulai in II parte *Scem aghedolìm*. Verisimile ergo valde est et decisionem hanc ejus esse, quae spectat ad Jom tov, seu ad partem VII ejusdem ordinis. Multa tamen confundit Azulai tribuitque priori R. Isaiae, quae sunt posterioris, atque ibidem, agens paullo post de posteriore, seu filio Eliae, asserit se vidisse ejus Pesachim, seu decisiones in eundem ordinem Mohed, Nascim, Nesikin et alios. Ac Nascìm quidem posterioris esse bini etiam codices nostri, 793 ac 934, fidem faciunt indubiam, de reliquis incertum, priorisque habendae eae quae nudum R. Isaiae nomen habent praefixum, posterioris quae addunt Acharon, vel filii Eliae, idque ex judaeorum ipsorum, et ipsius Azulai canone ac praescripto. Verisimile etiam est utriusque auctoris decisiones interdum in uno eodemque codice exhiberi, hujusque generis esse eum, quem posteriore loco commemorat. Nec notat Azulai, num Isaiae filii Eliae nomen integro codici praefigatur, an vero solis decisionibus in ordinem Nascim aliosque ordines, qui eum excipiunt. Idem dicendum de codiee Bodlejano a Wolfio relato T. IV p. 889. Nam nota, quae post Seder Mohed vacuum folium occupat, recentior est et possessorum codicis. Post tract. Maskin, seu de liquidis, haec cernitur scribae nota: » Explicit omne opus, quod feci in hoc libro, ego Menachem filius Elchanan, mense sivan an. 5081 a creatione mundi ».

Cod. 809

1.° R. Josephi Kimchì *Liber zicaron* seu *memorialis*.

2.° R. Jehudae Chiug *Liber nikùd*, seu *punctationis*.

3.° R. Immanuelis fil. Salom. *Liber Evèn bochen*, *Lapis lydius*, membr. rabb. 4.° min. vel 8.° maj. sec. XIV.

Singula inedita ac rarissima, postremum autem Wolfio reliquisque bibliographis sive judaeis, sive christianis ignotum. De singulis diximus ad cod. 396, qui ea complectitur. Hic tamen est multo luculentior, et procul dubio antiquior.

COD. 810

1.° ANONYMI *Scholia in Pentateuchum*.

2.° Ejusd. *Liber masorae*, seu *Comm. masoreticus* ac *criticus in eundem Pentat.*, membr. rabb. 4.° sec. XIV.

Incertus utriusque operis auctor. Scholiis subjiciuntur vocabula, affinibus plerumque litteris constantia, quae in sacra scriptura permutantur. Masorae libri seorsim exarati sunt rarissimi.

COD. 811

R. ISAACI DE KORBEIL *Samàk* seu *Liber parvus praeceptorum* cum *Scholiis*, membran. rabb. 4.° in. sec. XIV.

COD. 812

ANONYMI *Commentarius* in *Kruvàtz* seu *Cantiones rythmicas*, et in *Seder avodà*, seu *Ordinem cultus*, memb. rabbin. in 8.° sec. XIV.

Rythmicae illae cantiones, Kruvàtz dictae, a plerisque R. Eliezeri Hakkalir tribuuntur. Hic in earum nonnullas commentarius sistitur, videlicet in cantiones rosc ascanà, seu initii anni, et jejunii chippùr, vel diei expiationis, testans scriba ad calcem in apographo quod describebat, aliud non reperisse. Seder avodà tribuitur R. Josè fil. Josè, extatque in Machazòr hispanico. Ei subjicitur in codice expositio aliarum precum.

COD. 813

1.° ANONYMI *Liber praeceptorum* ineditus.

2.° ANONYMI *Compendium* ined. libri *Terumà* R. Baruch ben Isaac Wormatiensis.

3.° *Constitutiones nonnullae rituales*.

4.° MAIMONIDIS *Constitutiones libri legis*.

5.° R. ISAACI DURENSIS *Portae* vel *Sectiones de licito et illicito*, memb. rabbin. nitid. in 8.° sec. XV.

Sub fin. primi operis asseritur illud secum Ferrariam quemdam R. Jacobum gallum detulisse, R. Akibam vero describendum curasse anno minoris supputat. 38. Qui librum Terumà in compendium redegit, monet sub initium se id fecisse in comodum lectoris, ut decisiones et argumenta illico reperiat, *ut disposuit eas auctor coram doctore nostro sancto R. Isaaco fil. Samuelis fel. mem.*. Hinc verba *Scalceled akkabalà* et Ganzii

in *Tzemach David* necessario vertenda sunt *quod R. Baruch in gratiam R. Isaaci illum* librum *exaravit*, non *secundum doctrinam R. Isaaci*, ut contra Vorstium qui in alieniorem sensum ea detorserat, perperam contendit Wolfius T. I p. 268. Ex epigrammate quod occurrit ad calcem constitutionum ritualium, et initialibus versuum litteris punctis supra notatis patet scribam fuisse quemdam Salomonem.

Cod. 814

Machazòr ritus italici cum *Cantico cant.*, *Ruth*, *Threnis*, *Ecclesiaste*, *Sectionibus legis* ac *Prophet.* et *Psalmis* occurr., *Targum in Sectiones festorum*, *Pirkè avoth* cum *Comm.* Maimonidis, ej *Perachim*, Gaviròl *Cheder malcùd*, et *Azaroth*, Jehudae Levitae, Aben Ezrae et aliorum *Carminibus*, ac variis *Constitution.*, memb. ital in 4.° an. 1489.

Nitidissimus ac pulcherrimus codex, cujus initium, finis, titulique librorum, lectionum, ac precum aureis litteris, elegantique ornatu auro minioque exarato perpetuo condecorati sunt. Qui primam paginam occupat, reliquis ditior, praeter auream coronam, qua primum vocabulum pariter aureum tegitur, gentilitium stemma exhibet ejus, qui describendum ornandumque codicem curavit. Is absolutus est, ut ad calcem legitur, die VII mensis ijar an. mundi 5249, et ex antiquo codice descriptus, nam masorethicum textum non sequitur, insignesque nonnullas servat discrepantias. Unicus etiam Deut. XVI 15, fere unicus in *Scholiis* Zach. XIV 20.

Cod. 815

Isaias et Jeremias, membran. hisp. 4.° sec. XIII.

Litterae referunt hispan. formam, sed rudiorem. Nulla extat masora, rarum kerì, initiales minores. Unicus in *Scholiis* Jerem. VI 2.

Cod. 816

Meghillad Ester, seu *Volumen Estheris*, membr. exiguum hisp. lin. 14 sec. XVI.

Cod. 817

Meghilla, seu *Volumen Esth.* memb. exiguae formae ital. lin. 28 aet. recentioris.

Cod. 818

Estheris Volumen membran. exiguae formae cum ornatu minio depicto, charact. ital., lin. 21, sec. XVI.

Cod. 819

Estheris Volum. membr. exiguae formae ital. lin. 14 sec. XV.

Cod. 820

Estheris Volum. membr. minimae formae ital. lin. 11 sec. xv.

Praecedit stemma, detritoque ornatu varii coloris nobilitatae sunt membranae.

Cod. 821

Estheris Volum. membr. ej. formae minimae ital. lin. 12 sec. elapsi.

Cod. 822

Estheris Volum. membr. exiguum, char. hisp. majoris, minus elegantis et ad ital. accedentis, lin. 10, sec. elapsi. Explicit oratio verbis » sicut ultus es de primis, sic ulciscere et exscinde ultimos ».

Cod. 823

Estheris Volumen exiguum in ghevìl, seu corio hisp. min. ad ital. vergentis, lin. 17 recentioris aetatis.

Cod. 824

Prophetae posteriores et Agiographa, seu *Isaias, Jeremias, Ezechiel, xiI Minores, Ruth, Psalmi, Proverbia, Job, Threni, Ecclesiastes, Esther, Canticum, Daniel, Esdras, Nehemias, Paralipomena,* cum utraque *Masora,* membr. ital. 8.° 2 col. sec. xiiI, vel in. xiv.

Habentur etiam sub init. postremi versus lib. iI Regum. Libri poetici in breviora hemistichia ad instar odarum divisi sunt, et singularis est allatus Agiographorum ordo. Initiales minores, masora magna ingeniose interdum disposita, Estheris liber Assueri inscriptus. Explicit tabula Aphtaròth, exhibetque rarissimas varias lectiones Eccle. xI 5, Neh. xI 36, iI Par. viiI 15, et xxv 26.

Cod. 825

Pentateuchus cum *v Meghilloth* et *Aphtaròth,* memb. ital. 8.° sec. xiiI.

Forte etiam sub init. seculi. Incipit Gen. iI 11 et explicit Apht. diei iI tabernaculorum. Nullae in Pent. initiales majores, nulla masora, kerì rarum, nullum majus spatium inter maj. sectiones, nulla apertarum vel clausarum nota, rarissima majorum, litterae saepe obsoletae et evanidae, interdum rescriptae. Unicus Gen. xlv 18, Exod. ix 29, fere unic. Gen. xliiI 23, Exod. xl 14, rarus Jer. xxviI 4. Ad calcem Estheris rythmus quidam occurrit scriptoris, qui explicit *per manus Zorobabelis.*

Cod. 826

Jeremias, membr. hisp. 4.° min. oblungo an. 1280.

Accurate scriptus, initiales minores, sub init. brevis

occurrit masora, ad calcem vero certa aera שנת הגואל לעולם *anno mundi* 5040.

Cod. 827

Prophetae priores seu *Josue, Judices, Libri Samuelis* ac *Regum* cum *Masora*, memb. hisp. 12. 2 col. init. sec. xiv.

Luculentus codex cum initialibus majoribus et aureis, qui incipit Josue iv, sed quoad priora tria folia Veneta editione suppletus. Videtur ejusdem manus cum 464.

Cod. 828

Psalmi, Proverbia, Job, memb. rabb. 12. an. 1441.

Quasi unicus Psal. xlix 19, sed parum diligenter descriptus. Ad calcem: » Finitum porro est opus ministerii sancti, quod scripsi ego minimus in millibus Abraham fil. Salomonis, scripsique illud hic Cortonae, absolvique feria v die xiI mensis chislev an. 202 ».

Cod. 829

Psalmi, Proverbia, Job, Daniel, membr. rabbin. 12. sec. xv.

Forte etiam exeuntis sec. xiv. Unicus Prov. xvI 4, Job xviiI 19, Dan. ix 26, fere unicus Prov. xxI 3, Job ix 30, xxxiv 31, unus e paucis Ps. lxxviiI 71, Prov. iv 21, Job xxiiI 7, et Dan. viiI 27.

Cod. 830

Ordo precum cum *Pirkè avoth*, et *Psalmis* occurr., memb. germ. 16. sub fin. sec. xiv vel init. xv.

Cod. 831

Ordo precum cum *Psalmis* occurr., memb. rabb. in 16. sec. xv.

Tituli variis coloribus saepe expressi, unicus Psalm. lxxxiv 7.

Cod. 832

1.° R. Jedajae Peninì *Bechinad olàm, Examen mundi.*

2.° R. Josephi Esopaei *Kaàrad cheseph*, seu *Scutella argentea*, memb. ital. in 16. anni 1511.

Dicitur ad calcem » Absolutus feria v die I mensis veadar an. 271 min. supp. » Qui tamen annus super abras. est rescriptus.

Cod. 833

Amos *Fragmentum*, memb. hisp. 4.° sec. xiv.

A cap. viiI 14 ad ix 9.

Cod. 834

R. Samuelis Motot *Meghillàd sedarim, Volumen absconditorum*, seu *Comm. in* Aben Ezram *in Pentateuchum*, membr. chart. rabb. 4.° min. sec. xv.

Bina alia operis exempla suppeditant cod. 326 et 939.

Cod. 835

1.° R. Abr. aben Ezrae *Carmen pro die jejunii expiationis* cum *Comm.* r. Peripòth Duràn Levitae.

2.° Ej. r. Peripothi Duran binae *Epistolae*.

3.° Aben Ezrae *Chiddà*, seu *Aenigmaticum carmen de litteris quiescentibus* cum *Comm.* ejusdem Peripothi.

4.° r. Peripothi Duran *Expositio commentarii* Aben Ezrae *in sect. Balàch* et *Emòr*.

5.° Ej. *Expositio mysterii numeri septenarii*.

6.° Ej. *Agadàd kinà*, seu *Narratio* vel *Laudatio funebris* in morte r. Abrahami fil. Isaaci Levitae.

7.° *Excerptum* ex *Commentario* r. Vidal libri *Chè ben Jochtàn*, chart. rabb. 4.° sub fin. sec. xiv vel init. xv.

Sacrum illud Aben Ezrae carmen non memorat Wolfius, monet tamen nonnullas ejus preces in Machazòr occurrere. Grammaticum alterum et aenigmaticum de litteris quiescentibus sub titulo חידה suo loco recenset, recteque notat in Bibliis rabbinicis Bombergianis ac Buxtorfianis in limine comm. Aben Ezrae, et seorsim etiam esse excusum, quamvis non indicet aenigma hoc carmine proponi. Verum de singulis his r. Peripothi Duràn scriptis nulla extant apud Wolfium ceterosque bibliographos vestigia. Ea ergo ignotissima. Auctor hic, diu ob epistolam suam antichristianam, et eximiam grammaticam Mahassèh ephod, aliaque scripta celeberrimus, pluries in hoc nostro codice sive in fronte, sive ad calcem ejus lucubrationum vocatur mestre Prophiat Duràn levita. Nota novum levitae nomen Wolfio et ipsum, aliisque incompertum. Prioris commentarii in carmen jejunii expiationis titulus docet eum compositum fuisse ad petitionem binorum filiorum ben Benbenaste, ad quos est directus. Binarum, quae sequuntur, epistolarum altera de mysterio agit numeri septenarii, altera philosophica quemdam Morè textum illustrat. Posterior inscribitur » Responsum sapientis magni, praeceptoris mei integerrimi, magistri Prophiat Duràn levitae, quod fecit mihi scriptori, minimo ex minimis discipulis ejus ». Aenigmati nostri auctoris commentarius anteponitur, quaeque subjicitur ejus expositio in binas illas sectiones ab eodem discipulo dicitur conscripta. Tandem ejus Kinà seu funebris, vel lugubris laudatio in titulo dicitur missa ad Josephum fil. Abrahami in obitu doctoris ac poetae egregii don Abraham fil. Isaaci Le-

vitae ejus patris an. minoris supp. 154, Chr. 1394, quo reapse Peripothum nostrum floruisse statuit auctor *Scalsceled*. Subscribit is consueta nominis sui sigla אפר. In imo margine nota quaedam conspicitur illius scriptoris, qua gratias refert sapienti magistro Vidal fel. m., qui eum excitavit ad intelligendum mysterium, ostenditque illi viam in capitibus suis, quae composuit, et vocavit Pirkè moscè, seu capita Mosis. De quibus capitibus, ut et de ejus commentario libri Chè ben Jochtàn, cujus datur hic excerptum, Wolfius iterum silet. Constat autem ex hac nota hoc ipsius discipuli Peripothi ac Vidalis esse autographum.

Cod. 836

R. Levi Gersonidis *Liber de arithmetica*, chart. et membr. rabb. 4.° sec. xiv.

Ineditus, qui et in Vaticana extat. In binos maamarim seu tractatus dividitur, quorum secundus primo fusior sex constat sectionibus, hacque explicit nota: » Scribit auctor, absoluta est sectio vI hujus tractatus, simulque hic liber, laus Deo soli. Fuit autem finis mense nisan anno 81 sexti millenarii, quum pervenissem ego ad annum aetatis meae trigesimum tertium. Benedictus sit qui adjuvat ». Gravissima notatuque dignissima epigraphe, qua ex indubio Gersonidis ipsius testimonio certa ejus aetas, verusque nativitatis annus hucusque ignotus ac dubius, detegitur, qui in an. incidit orbis conditi 5048, Chr. 1288. V. dicta ad cod. 47 et *Dict. jud. auctorum* T. I p. 126.

Cod. 837

Anonymi *Commentarius in Pentateuch.*, chart. rabb. in 4.° min. sec. xiv.

In quo auctor saepissime Jarchii commentarium profert et illustrat. Extant et quaedam folia membranacea, et opus videtur ineditum.

Cod. 838

Jobi *Fragmentum* cum *Masora*, membr. germ. fol. min. seculi xiiI.

A cap. vI ad ix 12 et a xv 18 ad xix 1.

Cod. 839

Deuteronomii *Fragmentum* cum *Masora*, membr. germ. fol. min. 3 col. sec. xiiI.

A cap. v 8 ad vI 9, et a xiiI 9 ad xiv 28.

Cod. 840

Cantici canticorum et Exodi *Fragmenta*, membr. germ. 4.° sub fin. sec. xiiI.

Primum a cap. viiI 9 ad finem, secundum a xxxiiI

12 ad xxxiv 23, quod et singulare est xxxiiI 16, et xxxiv 7 et 18.

Cod. 841

Psalmorum *Fragmentum* membr. germ. in 4.° exeuntis seculi xiiI.

A Psal. cxxI ad cxxviiI.

Cod. 842

Psalmorum *Fragm*. membran. germ. 4.° min. sec. xiiI.

Seu Ps. cv, cxlvI, cxlviI.

Cod. 843

Aben Ezrae *Commentar. in Pentateuchum*, membr. rabb. in 4.° an. 1481.

Habet ad marg. Mototi aliorumque scholia in difficiliora Aben Ezrae loca seriori manu addita, hancque ad calcem epigraphem: » Ego Raphael Jedidjà fil. r. Eliezeris Chaiim quem Deus servet, de Strasburgo, vel Argentoratensis, scripsi librum hunc, qui perfecti sapientis hispani r. Abr. Aben Ezrae fel. mem. Comm. in legem sistit, descripsique illum in gratiam viri, timentis Deum, pascentis fidem, et prompti ad justitiam, domini mei r. Biniamini Nathanaelis fil. r. Sabtaei fel. m. qui hodie Senogalliae habitat... Fuit autem finis ejus hic Recineti in robore hujus diei feriae vI hebd.... an. 241, die xI mensis tamuz, ix junii ».

Cod. 844

Proverbia cum *Comm.* r. Immanuelis fil. Sal. ac *Scholiis*, membr. et chart. rabb. in fol. min. sec. xv.

Capitum singulorumque versuum sive sacri textus, sive expositionis exordia rubro colore notantur, in postremis vero capitibus aliorum auctorum interpretationes fusaque scholia suppeditantur, potissimum r. Jehudae fil. Mosis fil. Danielis ex ejus comment. decerpta.

Cod. 845

Fragmentum *Precum* cum *Cantico cant.* et *Thr.* ad marg., memb. rabb. 8.° sec. xv.

Canticum a iv 5 ad finem et Threni ad iv 16.

Cod. 846

Psalterium et Job, memb. rabb. 4.° min. in. sec. xiv.

Uterque liber brevioribus hemistichiis odarum adinstar est exaratus, initiales litterae psalmorum, et capitum majores minioque ornatae, majores etiam sunt et ordine dispositae initiales omnium versuum in psalmis. Desinit Job cap. vI, a scriba ipso non continuatus.

Cod. 847

Psalmi, Proverbia, Job, membr. germ. in fol. 2 col. seculi xiv.

Incipit a postremis verbis v. 5 Psal. XLII, et Proverbia desinunt cap. XII 8. Alternis lineis scripti sunt libri, atque initialia verba alternis litteris rubris et nigris constant, iisque majoribus. Singulari modo distributus est Psal. CXIX, ac numerantur psalmi 152. Unicus est Psal. LI 3, ac fere unicus Job IX 19, in *Scholiis* XXIX 12.

COD. 848

MEGHILLA' seu *Volumen Esther* membran. mediocris formae, hisp. lin. 12. sec. XVI.

Primum vocab. majusculum, litterae in quibusdam columnis rescriptae.

COD. 849

1.° R. JACOB. FIL. ASCER *Even ahezer*, seu *III Ordo Arbah turim*.

2.° R. MOSIS NACHMANIDIS *Chiduscè torà*, seu *novellae Observationes in Pentateuchum*, charta laevigata orien. rabbin. in fol. 2 col. sec. XV.

Postremo folio primi operis quod charta communi, manu recentiori alioque charactere suppletum est, haec leguntur: » Complevique illud ego Ioseph fil. R. Samuel feria V, die VIII mensis nisan an. 5268 a creatione », Christi 1508. Quae sequuntur Nachmanidis observationes ab ejus comm. in Pent. diversae non sunt, ut collatio ipsa demonstrat, ac proinde recte Wolfius T. III p. 797 contra le Longium, qui eas distinxerat, contendit eas unum eundemque librum sub alio titulo constituere. At vero observationes istae in nostro hoc codice non praetergrediuntur binas primas Genesis sectiones.

COD. 850

PENTATEUCHUS cum *Aphtaròth*, *V Meghillòth*, *Masora*, ac *Volumine* Antiochi heb., memb. 4. 2 col. an. 1469.

Luculentissimus codex et accuratissimus, Ulyssipone exaratus, ut patet ex inscriptione, quae extat ad calcem Ecclesiastis: » Ego Samuel de Medina scripsi hos V libros legis, Aphtaras et V Volumina, opitulante Deo, qui excelsa inhabitat, in gratiam cl., potentis ac desiderabilis R. Jacobi Coèn filii excell. et doctissimi senis, optimi cum Deo et hominibus, R. Jonae Coèn . . . Absolutusque est mense sivan an. ab O. C. 5259 Ulyssipone ». Praeter masoram parvam adest et magna, sed brevior, rariorque codicis lectio occurrit Gen. XIX 28 in Var. Lect. appendice. Idem elegantissimus scriba an. 1473 egregium nostrae hujus publicae Parmensis bibliothecae codicem conscripsit, in Kenn. collatione notatum sub. n.° 548.

COD. 851

PENTATEUCHUS cum *Aphtaròth*, et *V Meghilloth*, memb. hisp. in 4.° 2 col. ex. sec. XIV vel init. XV.

Codex et ipse elegantissimus in Hispania summa diligentia descriptus. Unicus in *Var. Lect.* appendice Lev. XIV 37, ac rarissimus IV 5.

COD. 852

ORDO *benedictionis, sabbathi, circumcisionis*, et *paschatis* cum *psalmis* occurr. memb. germ. 4. min. sec. XIV.

Occurrit quoque Zemer, seu cantio rythmica Aben Ezrae, et alia R. Donas ben Livrat Wolfio ignota, ad marg. vero perpetua scholia. Plures initiales majusculae ornatae ac rubrae, multaque rubro colore expressa.

COD. 853

PENTATEUCHUS cum *V Meghillòth*, memb. semirabb. 8.° 2 col. sec. XIII.

Incipit Gen. XXIV 61 et desinit Esth. IX 27. Sectionum exordia litteris majoribus varioque colore distincta. Fere unicus Eccle. XII 5.

COD. 854

ORDO PRECUM cum *Pirkè avòth* et *Psal.* occurr., memb. 16. an. 1226.

Ad calcem litteris valde evanidis legitur: » Absolutus est hic ordo die V mensis scebat an. 86 min. supp. per man. Jehoseph fil. pii R. Isaaci fil. Danielis f. m. ».

COD. 855

MACHAZÒR seu *Preces diei expiationis* germ. cum *Sect. Pent.* ac *Proph.*, ac *Psal.* occurrentibus, membr. german. in fol. sec. XIV.

Extat ad calcem nomen scribae Simson. Antichristiana multa deleta vel abrasa, ac sub init. deficit.

COD. 856

PRECES CHIPPUR, seu *diei expiationis* ritus germ. cum *Jona* variisque *Sect. bibl.*, et *Commentario*, memb. germ. 4.° init. sec. XIV.

COD. 857

GENESIS, EXODUS, ECCLESIASTES, ESTHER cum *Targ.* et *Comm.* Jarchì, memb. germ. 4.° sec. XII vel init. XIII.

Est pars cod. 656 sero reperta, subque novo hoc titulo in edita *Var. Lect.* collatione producta. Incipit Gen. XV 10, et progreditur ad Exod. XVI 36, unde incipit 656. Sequuntur octo folia ab Exod. XXXI 8 ad XXXIV 30, quae illic deerant. Ad calc. occurrit Ecclesiastes a cap. VII 21 ad finem, et Esther usque ad cap. II 11. Unicus Gen. XXIV 43 in appendice et XXXVIII 4 in *Scholiis*.

Cod. 858

1.° R. Isaaci de Korbeil *Samàk* seu *Liber parvus praeceptorum*.

2.° R. Jechiel Levitae *Constitutiones ablutionis* et *de primogenito*.

3.° R. Isaaci Durensis *Liber vetiti et liciti*.

4.° R. Simeonis fil. Tzadok *Liber Tasbètz*.

5.° R. Sal. Jarchì *Siddùr*, sive *Ordo constitutionum ritualium*, membr. rabbin. in fol. an. 1350.

Liber Samak habet consueta scholia et emendationes. De his Jechielis Levitae constitutionibus nihil Wolfius, nihil de auctore ipso. Nihil etiam, quod magis mirandum est, sive ipse, sive ceteri bibliographi, etiam recentiores ipsi hebraeorum, de Siddùr, seu Ordine R. Salomonis Jarchì, insigni opere, quod fere dimidium codicem occupat. Est compendium constitutionum ritualium, quas Jarchius partim ex antiquioribus gheonaeis ac libris collegit, partim ipse definivit. Etenim multae ferunt ad calcem ejus nomen ac subscriptionem, aliae in ejus domo, vel academia dicuntur explanatae. Ex Alacòth ghedolòth, seu constitutionibus magnis plures desumptae sunt, aliae ex responsis quae producuntur, R. Josephi Tov Alem fil. Samuelis, vel ex Seder R. Amram aliisque scriptis. Inedita sunt nec alibi obvia responsa Josephi Tov Alem, antiqui scriptoris sec. XI, quem varia scripsisse atque inter haec responsa juridica notat Jachias in *Scalscèled* f. 42 a, et ex eo Wolfius T. I p. 531, sed eorum nihil aetatem tulisse. Azulai reperit et ipse in antiquo codice ms. auctorem hunc plura egregia opera edidisse, ac praesertim optimum in Pentateuchum commentarium, cujus et Jachias jam mentionem fecerat. Sicut autem Seder R. Amram, ut scriptum reperit Azulai parte II *Scem aghedolìm* fol. 62 b, ab ejus discipulis compositus est, sic ordo noster Rascì ab ejus discipulis videtur compilatus, quod et honoris titulus rabbènu frequentissime adhibitus demonstrat. Sub finem libri praeceptorum R. Isaaci de Korbeil hanc librarius epigraphem posuit: » Absolvi hunc praeceptorum librum in nomine omnipotentis, qui extremis dominatur, ego scriba Moses filius R. Jechiel ... Finivi hodie die XX mensis ijar anno 5110 a creatione mundi ».



